DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
Circa
MORBUM ET CURAM ÆGROTORUM,
Quam
PRÆSIDE
DEO TER OPT. MAX.
DECRETO ET AUTHORITATE
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ET CONSULTISSIMI JCTORUM ORDINIS IN ILLUSTRI ARGENTINA
Pro
LICENTIA
Summos in utroque Jure Honores ac Privilegia
DOCTORALIA
ritè conſequendi,
SOLENNI
Eruditorum diſquiſitioni exhibet

JOHANNES JUSTINUS Mühlpfort/
Jenenſ. Thuring.

Ad d. Menſ. Iun. H. Lq. Conſuet.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS WELPERI.
ANNO M DC LXXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
296

I. N. D. N. J. C.

PRAEFATIO.

INgruunt morbi gentibus univerſis, *inquit Plin. lib. 7. Hiſt. natur. cap. 50. n. 45.* In cujus effati veritate eruenda multum eſſe operoſum haud equidem ego neceſſarium exiſtimo: nec enim credam, facilè quendam ætate paulò profectum inveniri, qui iſtud continuâ ſanitate ſe eluſiſſe, ac impoſterum eludere velle, firmiter contendere poſſit. At quò certius conſtat, morbum commune & perpetuò quaſi imminens eſſe periculum, ab omnibus hominibus metuendum; eò magis naturalis ratio nos jubet eſſe ſolicitos de mediis, quibus etiam in civili ſocietate perſonis ægrotantibus ſubveniatur. Quod ipſum prudentes legumlatores benè obſervaſſe, tot in favorem hujusmodi miſerabilium perſonarum ſancita ſatis evincunt. Cum itaque poſt exantlata per Divinam Clementiam juris examina conſueta, Benevolo Decreto Magnifici JCtorum Ordinis, in Illuſtri hâc Academiâ Argentinenſi mihi conceſſum, ut pro Summis in utroque jure Honoribus obtinendis, Diſſertationem Inauguralem publicè proponerem; nonabs re mihi viſum, ſi jura circa Morbum & Curam ægrotorum introducta hâc occaſione exponerem, & paulò latius deducerem. Adſit itaque cœptis Deus. Tu verò B. L. conatui huic fave, &, ſi meruerit, applaude.

CAP. I.

De definitionibus & diviſionibus morbi.

I.

MOrbi vocabulum, cujus etymon faciunt vel à *μόρῳ βίας*, i. e. corruptione vitium; vel à *μείρομαι*, *Scal. in Theoph. de plant.* acceptiones habet varias, tam apud Medicos, *quas vid. ap. Gœdd. ad l. 101. §. 2. ff. de V. S.* quàm apud JCtos, quas recenſet *Thomas Actius tr. de infirmit. cap. 2. & cap. 12. Calvin. lex. jurid. voc. Aeger. Gœdd. cit. loc. n. 2. ſeqq. Ioh. Wilhel. Röveſtrunck Meditat. Aedilit. lib. 1. cap. 3. n. 2. uſq. n. 6.* quarum ea propriè eſt hujus loci quæ extat *in c. illud relatum. verſ. porrò. XV. q. 1.* ſcilicet quando ſumitur pro infirmitate corporis, quâ elementorum ſeu humorum concordiâ turbatâ ipſa caro afficitur, & nonnunquam diſſolvitur.

II.

Dicitur morbus aliàs Græco nomine *νόσον* aut *ἀρρωστίαν*; latinè, ægrotatio, ægritudo *l. 5. ff. de Aedil. edict.* infirmitas, debilitas, adverſa valetudo, affectus, vitium. Horum quædam in foro Latio accuratè loqnendo à ſe invicem differunt, *vid. Act. d. tr. cap. 18. n. 1. ſeqq. part. 1 Cicer. lib. 3. Tuſcul. jung. rubr. X. de cler. ægrot. & debil.* quas differentias in effectibus juris parum, vel nihil, noſtra curat Juriſprudentia. *l. un. ff. de offic. conſul. l. 38. §. 1. ff. ex quib. cauſ. maj. l. 15. ff. de recept. arbitr. l. 13. §. 7. ff. de excuſ. tut. Conf. Act. d. tr. p. 1. c. 4. n. 1. & cap. 18. n. 8. & ſeqq.*

III.

De poſtremo Synonymo, vitio nimirum, notandum, quod ex ſententia Labeonis & Sabini, *de quâ Gell. lib. 4. Noct. Attic. cap. 2.* quam ſequitur *Vlpianus in l. 1. §. ſciendum. ff. de Aedil. edict.* nulla ſit differentia inter vitium & morbum quoad edictum Aedilitium, ſed dubitationis tollendæ gratia id Aediles adjeciſſe, ut oſtenderent, ſe de utraque morbi ſignificatione locutos eſſe. Scilicet erant quidam Medicorum, morbum tam ipſam læſionem, *Galen. lib. de differ. morb. cap. 2.* quam diſpo-

ſitionem

ſtionem operationes lædentem definientes. *Avicenn.lib. 1.fen. 2.doctr.1.cap.2.* Quô poſitô ſequebatur morboſum eſſe vitioſum, & contra, ita ut nec fanatici, nec fatui, nec myopes, nec nyctalopi *d.l.*10 §.3.*&* 4. à morboſis exciperentur. Trebatio verò & plerisque aliis cum placuit potius illorum opinio, qui morbum non ipſam læſionem ſtatuerunt, ſed id quod diſpoſitum eſt, ut lædere poſſit operationem; factum, ut quædam apud JCtos conſtituerentur inter morbum vitiumque differentiæ, nempe ut vitium eſſet vox generalior, morbus ſpecialior; *Gell. d. l. lib.* 4. *cap.* 2. illud, perpetuum corporis impedimentum; hic, temporalem imbecillitatem denotaret, *Sylveſtr. d.tr. lib.* 1.*c.*3.*n.* 4.5.*&* 6. quæ tamen ex accidenti in perpetuam degenerari poſſit. *l.6.pr.ff.de Aedil. edict. Gœdd. cit. loc. in fin.*

IV.

Deſcribitur morbus ab Ulpiano *in l.*1.§ 7.*ff. de adilit. edict.* quod ſit habitus, *i.e. conſtitutio ſeu habitudo,* cujusque corporis contra naturam, *ſc. nobis inhærens*, qui uſum ejus ad id facit deteriorem, cujus cauſa natura nobis ejus corporis ſanitatē dedit. Vel, cum *Act.d.tr.p.*1.*c.*11.*n.*6. quod ſit affectio corporis contra naturam ex turbata humorum concordia proveniens, non ſine diſſolutionis corporis periculo. *Conſ. Galen. de morb. & Sympt. lib.* 1.*de morb differ. cap.* 2. Excluduntur itaque hic leves corporis alterationes, quæ nullum vitæ periculum afferunt, & uſum corporis parum impediunt. *arg. l.*1 § 3.*C.de latin. lib.toll. Sebaſt. Medic. tr. mors omn. ſolv. p.* 1. *n.* 133.

V.

Dividitur morbus variè, diviſione tamen non univocâ, ſed æquivocâ, modo in gravem & levem *l.* 4. §. *pen. ff. de Aedil. edict.* ubi in dubio medicorum judicio ſtandum eſſe, docet *Paul. Zacb. quæſt. Med. Legal. lib.* 2. *T.* 3. *q.* 4. modo in perpetuum & temporalem, *l.6. pr. ff. de Aedil edict.* ſonticum & non ſonticum, *l.60.ff. de re jud. l.4.*§.5. *ff. de Aedil edict.* contagioſum & non contagioſum, *l.* 8. *C. de teſtam.* denique in curabilem, & non curabilem, ex quo ſc. ſecundum humanum intellectum, medicorum judicium, & quotidianam experientiam plerumque

3(0

hominesmorituri ſunt. *Paul. Zach d.l. tit.1.q.19.n.11.12.13.* Et hæc morbi ſpecies propriè dicitur valetudo ſc. adverſa, *in L. 15.§.2. ff. de adopt. ibiq; gl. verb.* morbus.

CAP. II.
De jure perſonarum ægrotantium.

I.

PRæmiſſis materiæ generalioribus, paucis quoque ejusdem ſpecialiora perluſtrabo. Monet autem præſtantia ſubjecti, ut præ cæteris de iis tractare ordiar, quæ immediate iſtud reſpiciunt, ſeu quorum utilitas plerumque illi immediatè obvenit, inque eô ſubſiſtit, nec alteri de eô aliquid participandum relinquit.

II.

Subjectum morbi eſt perſona ægrotans, de quâ duo potiſſimum veniunt conſideranda; nimirum ſpiritualia & ſecularia. Spiritualia conſiſtunt inter cætera in S. Sacramentorum adminiſtratione, quæ laicis interdicitur, quia ordinis eſt, (de quibus *Dan. Venat. Analyſ. Meth. jur. Pontif. ad tit. x. de elect. p. m. 59. & tit. x. de offic. ordin. p. 151. c. pen. x. de conſecr. eccleſ. & altar.*) & per conſecrationem demum, tanquam per fœdus conjugii ſpirituale, conceſſa intelligitur. *c. 25. c. 56. x. de elect.* Sed ſi accidit, ut infantes recens nati adeò ſint debiles, ut periculum ſit, ne antequam clericus adveniat, vitâ excedant; tunc in caſu neceſſitatis quin à laico, licet muliebris ſexus *c. mulier. c.20. diſt. IV. de conſecrat.* aut in fidelis ſit, *c. à quodam. 24. diſt. IV. c. 3. diſt. V.* formam tamen baptiſmatis obſervet, *c. ſi de quibus. 38. diſt. IV. de conſecr.* ſacrum baptiſma fieri poſſit, canones non impediunt. *c. ad limina. 30. q. 1. c. 19. c. 21 diſt. IV. de conſecr.* Quô neceſſitatis caſu nec in noſtris eccleſiis baptiſma à muliere facta improbatur, ſed potius idem effectus tribuitur, ac ſi ab epiſcopo facta fuiſſet. *arg. Exod. 4. verſ. 25. Reinkingk.* Bibliſch. Polic. *lib. 1. art. 33. Balduin. de caſ. conſc. lib. 4. c. 5. caſ. 11.* Sed num dicta etiam in confeſſione, abſolutione, & ſubſequenti

quenti S. Cœnæ porrectione procedant, major ferè dubitatio oritur? Sanè ſi *Abb. in c. quanto. col. pen. x. de conſuet.* authoritati ſtandum, negativæ ſubſcribendum eſſet, quam etiam ſequitur *Card. Tolet. tr. de inſtr. ſacerd. lib. 3 cap.* 13. melius eſſe, dicens, ad Deum per contritionem ſe convertere, quam à laico peccatorum remiſſionem ſperare. Verum quia hæc controverſia potius ex Theologiâ dependet, eandem aliis decidendam relinquo.

III.

Secularia reſpiciunt triplicem hominum ſtatum, qui eſt vel libertatis, vel familiæ, vel civitatis. *l. ult. ff. de capit. dimin.* Ex decreto quippe naturæ omnes homines naſcebantur liberi, tamdiu, donec occaſione bellorum ſervitus introducta libertatem hominum invaſit, eos contra naturam, ſeu primævum eorum ſtatum, alienô dominio ſubjecit, ac libertate privavit. *pr. Inſt. de libert. §. 2. Inſt. de I. N. G. & C. §. 1. Inſt. de jur. perſ. l.* 4. *§. 1. ff. de ſtat. hom.* Erant hi miſerrimæ conditionis homines, dum domini, vi poteſtatis dominicæ, cum iis eorumque bonis (quæ acquirebant dominis etiam invitis & ignorantibus, *§. 2. Inſt. per quas perſ.*) pro lubitu diſponebant, *§. 1. Inſt. qui & ex quib. cauſ.* illos vendebant, aut quovis modo alienabant. Venditis tamen mancipiis contractus tempore *l. 54. ff. de Aedil. edict. l. 2 C de Aedil. act.* ægrotis ex vitio latenti, *l. 1. §. 6. d. t. l. 14. §. ult. ff. eod. Maſc. de probat. concl. 636. n. 5. Vol. 2.* adeoque ementi ignoto, *Trentl. Diſp. 2. th. 2. Vol. 2.* habebat hic contra venditorem actionem redhibitoriam, ſi vitium tam magnum erat, ut vel uſum menbrorum, vel totius corporis ſtructuram impediebat: *l. 1. §. 7. & §. 8. ff. d. t. Oldend. progymn. Claſſ. 4. act. 2. n. 1.* niſi venditor antea emtorem de vitio certiorem reddiderat, vel morbum quendam nominatim ac ſpecialiter exceperat, *l. 14. §. 9. ff d. t. Mynſ. 1. obſ. 56. n. 9.* quibus caſibus edictum ceſſabat, & exceptione oppoſita venditor liberabatur. *Durand. ſpecul. pract. lib. 4. part. 3. §. de reſc. vend. n. 2.*

IV.

Atque ex jure illo Romano antiquiſſimo penè idem erat effectus poteſtatis patriæ in liberos, qui dominicæ, *§. 1. Inſt. per quas*

quæ perſon. l. 11. ff. de liber. & poſth. l. ult. C. de patr. poteſt. qui hodiè partim coarctatus, *d. §. 1.* partim planè ſublatus, *l. 3. l. 4. C. d. t.* ita, ut modicè caſtigare, *d. l. 3.* vel etiam tempore extremæ famis liberos (quoad hoc ſanguinolentos, i.e. matre adhuc rubentes) vendere, patri ſolùm, non matri, *arg. §. 10. I. de adopt.* nec avo paterno liceat. *l. ult. C. de patr. qui fil. Arum. Ex. 2. th. 3.*

V.

Conſtituitur patria poteſtas nuptiis veris, iisque juſtis vel ab initio, quæ κατ' ἐξοχὴν juſtæ dicuntur, vel ex poſt facto; & fictis. Ubi controverti ſolet, an morbus impediat, ne quis validè matrimonium contrahere poſſit? Quod negat *Alex. in L. Gallus. Col. pen. ff. de liber. & poſth.* etiamſi ægrotans in articulo mortis ſit conſtitutus; *gl. in c. 2. x. de conj. lepreſ. Ceph. Conſ. 276. n. 33. Vol. 11.* quòd ægrotus eâ quoque nocte, quâ moritur, generare poſſit ex ſententiâ *Guil. Benedict. in c. 17. verb. in extremis. n. 13. x. de teſtam.* Multo minus igitur morbus impedimento erit, ne ægrotus in articulo mortis liberos ex concubina natos per ſubſequens matrimonium legitimare poſſit, *l. 11. verſ. licet. C. de natur. liber.* præprimis quia tunc conſenſus interpoſitus non tam ad præſens matrimonium pertinet, quàm ut ille teſtetur de affectione conjugali, quæ retrò fuit, & præſumtionem pro matrimonio inducat. *Pinguiz. q. 1.* Cui nec fraus ſubeſſe colligitur, niſi aliæ circumſtantiæ concurrant. *Rom. concl. l. 6. tit. de legit. concl. 1.* Quò verò probari poſſit conſenſus declaratus, de jure civili neceſſariò inſtrumenta dotalia requiruntur. *§. fin. Inſt. de nupt. §. 2. Inſt. de her. quæ ab inteſt. Nov. 12. cap. ult. Nov. 18. cap. ult. Nov. 74. pr. Nov. 89. c. 8. junct. l. 10. l. 11. C. de natur. liber.* quamvis jure canonum aliud obtinere benè tradit Magnif. Dn. Strauch. *ICtus celeberrimus, Patronus atq; Præceptor meus ſumma obſervantia colendus &c. in Diſſ. ad univerſ. jus Juſtin. Diſſ. 4. aph. 7.*

VI.

Nuptiæ legitimo modo contractæ & conſummatæ propter ſupervenientem morbum, etiam ſonticum, diſſolvi nequeunt, ne quidem quoad thorum & menſam, *arg. c. 2. x. de conj. lepreſ.*

ibiq;

ibiq; *Panorm.* cum conjuges ad fortunam quamcunque ferendam ſibi invicem ſint obſtricti, *arg. l 22.§ 7. ff. ſol. matr. c. quod autem. 27. q. 2. Ioh. Gerhard. loc. de conj. §. 685.* Quod non procedit, ſi jam ante conſummatum matrimonium vitium adfuerit, & altera pars talem perſonam ignorans ſibi aſſociaverit. *c. 4. x. de frig. & malef. Ioach. à Beuſt. de jur. connub. p. 2. cap. 14.* quia tunc alterâ parte petente poſt cauſæ cognitionem à conſiſtoriis ad divortium decerni debet. *Paul. Zach. quaſt. med. leg. lib. 3. q. 6. n. 4 Carpz. Iuriſp Conſiſt. lib. 2. def. 201. n. 202.* Et idem ſentiendum de ſponſalibus de præſenti, & multò magis de futurô, *c. ult. x. de conj. leproſ.* Quod *cap.* licet tantum de ſponſalibus de futurô loquatur, rectè tamen ex idenditate rationis *Panorm. in d. cap.* & alii, id etiam ad ſponſalia de præſenti extendunt. Imò ſi *Gerhard. in d. l. de conjung. §. 167. & Cypra. de ſponſ. cap. 13. §. 65.* ſequi velimus, dicendum, ne volentes quidem ad matrimonium conſummandum tali caſu à magiſtratu admitti debere. Sed magis eſt, aut cum *Carpz. Iuriſpr. Conſiſt. lib. 2. tit. 10. def. 180. n. 13.* in hoc contrarium ſtatuamus, qui *n ult.* quoque monet, magiſtratum prudenter facere, ſi ante ſolutionem ſponſaliorum certum tempus curationi præfigit, & morbo non ceſſante demum ad diſſolutionem procedit. *vid. l. pen. ff. de ſponſ. l. 2. C. eod. Hoſt. in Summ. tit. de ſponſ. n. 3.* An verò ſi ob morbi contagium ſecuta ſit naſi vel alterius membri abſciſſio, quâ quis redditur de formis, ſponſalia diſſolvi poſſint, quæritur? Ubi affirmativa placet, *Act. d. tr. de infirm. p. 2. verb. ſponſalia* quæ ſententia in ſponſalibus de præſenti vix videtur admittenda. *arg. c. quod autem. XXIX. q. 1. Venat. tit. X. de ſponſal. p. 522.*

VII.

Nuptiis accedit dos, *l. 3. l. 39. l. 48. ff. de jur. dot. l. ult. C. de don. ant. nupt.* quæ conſtante matrimonio non poteſt avocari, niſi ob cauſam prægnantem, *l. 20. ibiq; Dd. ff. ſol. matr.* qualis quoque eſt morbus, *arg. l. 1. ff. de offic. ejus. l. 8. l. 9. ff. de pact. l. 60. ff. de re jud. c. quod ſedem. x. de offic. ordin. gl. in §. eadem. verb. juſta cauſa. Inſt. quib. ex cauſ. man. non lic. Dec. reſp. 14. n. 13. Vol. 3.* idque non tantum in caſu, quo uxor ipſa decumbit, & maritus eam curari negligit; ſed etiam ſi pietatis ratione mota

H paren-

30

parentibus, fratribus, ſororibus, aut liberis egenis ægrotantibus ſubvenire vellet. *arg. l. mutus. ff. de jur. dot.*

VIII.

Fictæ nuptiæ fiunt per adoptionem, tam in ſpecie dictam, quam adrogationem, §. 1. *Inſt. de adopt. l. 2. ff. eod.* quarum quidem illa adoptionis ſpecies poteſtatem patriam non conſtituit, ſi fit ab extraneô, ſed ſaltem jus ſuccedendi ab inteſtato tribuit. §. 2. *Inſt. d. t. l. pen. C. eod.* Arrogationis autem inter cætera requiſitum eſt, ut arrogator non ſit minor ſexagenario, quia ob incrementum reipubl. quilibet potius liberorum procreationi ſtudere debet: aſt morbo vel valetudine correptus, non prohibetur, quò minus, antequam ſexageſimum annum attigerit, arrogare poſſit. *l. 15. §. 2. ff. de adopt. ibiq. Dd.* In valetudinario enim procreatio ſobolis non præſumitur. *l. 6. ff. de his qui ſunt ſui. Maſc. de prob. concl. 312. n. 16.*

IX.

Ita conſtituta poteſtas patria inter alia ſolvitur dignitate, olim quidem patriciatus tantùm, (*de quâ vid. Zoſ. lib. 2. & Caſſ. lib. 6. Varr. lib. 2. & lib. 3. var. 5. Bach. ad Tr. Diſp. 2. th. 12. lit. B. Gyph. ad §. lex eſt. Inſt. de I. N. G. & C. Limn. jur. publ. T. 1. lib. 1. c. 5. n. 8.*) jure noviſſimô quâvis curiali, *l. fin. C. de decur. lib. X. Nov. 81. pr.* inter quas hodiè non eſt numeranda dignitas Doctoralis, *arg. l. 4. C. de Advoc. diverſ. jud. Nov. 38. pr. & §. 3.* quamvis ea abſenti propter infirmitatem vel corporis debilitatem poteſt conferri, non obſtante ſtatuto, quod præſentiam promoturi deſiderat. *arg. l. 2. §. 3. ff. ſi quis caut. jud. ſiſt.* In dignitate autem vivens ſive illa oriatur ex officio, ſive quis aliunde eam quæſitam habeat, quo minus iiſdem & majoribus gaudeat privilegiis æger atque ſanus, nihil intereſt. Præterea quilibet alii officiales ignobili officio fungentes, ſi ob morbum impediti ipſorum officio ſufficienter præeſſe aut ſatisfacere nequeunt, nequaquam perdunt ægrotationis tempore ſuas vel immunitates vel privilegia, vel ſalaria, quin potius omnia ſalva & integra retineant: *Rebuff. in l. 113. col. 2. ff. de V. S.* ſemper enim in favorabilibus infirmus abſens à negotio, cui adeſſe debet, habetur pro præſente. *Rom. conſ. 263. in pr.* Sicut infirmitas ſervi facit

eum

eum haberi pro ſervlente. *L.4.§. 5.ff. de ſtat. liber. Rom. d conſ. n. 2. Abb. conſ.70. in pr.*

X.

Hinc licet præcepta canonum, quibus eccleſiaſtica regitur diſciplina, debiles ad ſacerdotium venire non patiantur, *c. 21. x. de elect.* quòd volunt tales eligi ad miniſterium, qui dignè poſſunt dominica ſacramenta tractare. *c. Tales. diſt. 23.* Tamen quia non convenit, propterea eis auferri ante ſuſceptum ordinem, quod poſtmodum in invaletudinem corporis probantur collapſi: *can. præcepta. diſt. 55.* & omninò injuſtum eſſe videtur, ut, ſi moleſtia corporis irruit, honore ſuo privetur ægrotus, *c. ſcripſit. 7. q. 1.* & ita afflicto addatur afflictio, *c. 5. x. de cler. ægrot.* Igitur gravi & ſontico morbo decumbentes Epiſcopi, vel alii in ſuperioribus ordinibus conſtituti, à functione officiorum excuſantur, & nihilominus integrè percipiunt fructus beneficii, *c. 1. x. de cler. ægrot. ibiq. Dan. Venat. & ad tit. X. de cler. non reſid. p. m. 5. n. 1. in f.* Interim poteſt Epiſcopus ea quæ ſunt ſui officii alteri catholico mandare, *c. quod ſedem. ibiq. gl. x de offic. ordin. Lancell. Inſt. canon. tit. de conſecrat. § quod ſi autem. &c.* vel coadjutorem accipere, *Lancell. Inſt. can. tit. de coadjut.* præſertim ſi non appareat ſpes recuperandæ ſanitatis. Hic curam animarum gerit, & ad ſuſtentationem ſui de facultatibus eccleſiæ congruam accipit portionem. *c. 3. c. fin. x. de cler. ægrot. c. un. eod. in 6to junct. c. 5. x. d. t.* Nec enim ſubſtitutus præferendus eſt beneficiato infirmo, cum cauſa naturalis in hoc concurrat, in illo verò ſit ſaltem accidentalis, ut dicit *Abb. in c. 1. x. de cler. ægrot. & conſ. 70. n. 1. lib. 1. Cardin. Tuſch. concl. pract. concl. 129. verb. infirmitas. n. 10. usq. 14.* Sed & ſi clericus eſſet inferioris ordinis, vicarius ei datur, *c. Tua. x. de cler. ægrot. ibiq. Goffret.* & removetur talis non ab officio, ſed ab ejus executione ſeu adminiſtratione. *Hoſt. lib. 3. ſumm. tit. X. de cler. ægrot. n. 2.* Statuit quoque *Abb. d. conſ. 70. n. 3.* quod infirmus beneficiatus bona eccleſiæ obligare poſſit, ſi non habet, unde ſe alat. *c. un. in f. verſ. præſenti. de cler. ægrot. in 6to.* Et notabile eſt quod dicitur, clericos, dum ſani ſunt, æquiparari uſufructuariis, dum ægroti, uſurariis, cujus rei effectum tradit *Clar. §. teſtam. verſ.*

302

quarto. Quid in hiſce caſibus in terris Saxonicis obtineat inter miniſtros eccleſiæ, *vid. in Ord. Eccleſ. Sax. tit.* Von *immunitatib.* und Freyheit. Der Kirchen Diener. *junct. Ord. Pol. de Anno* 1612. *Tit.* Von *Conſiſtorial* Sachen. *Conf. Carpz. Juriſpr. Conſiſt. lib.* 1. *tit.* 10. *def.* 153.

XI.

Ex ſtatu civitatis dicitur quis civis, qui, dum in quadam civili ſocietate vivunt, tenentur eandem modis omnibus adjuvare. *Don.* 12. *c.* 4. Fit iſtud, quando vel civis operam ſuam reipubl. præſtat, vel certam portionem bonorum ex patrimonio ſuo erogat legibus moribusve determinatam. *l.* 1. *& d. t. ff. & C. de mun. & hon. Magnif. Dn. Tabor. tr. de mer. & epidem. p.* 2. *c.* 1. *n.* 2. *ſeqq.* Ubi, quia nemo obligatur ad ea, quæ humeris ferre nequit, *arg. l.* 185. *ff. de R. I.* ſalutariter ægrotis in legibus civilibus proſpectum, ut à muneribus perſonalibus eſſent immunes, ſi morbus illorum præſtationem impediret. Poterunt itaque ægroti non tantùm ab adhuc deferendo munere ſe excuſare, ſed etiam à delatô ſe liberare. *l.* 2. *§.* 7. *ff. de vac. & excuſ. mun. l.* 18. *§* 11. *ff. de mun. & honor. l.* 10. *§. ult. ff. de excuſ. tut.* Sic à conſulis, conſiliarii, ſenatoris, judicis, Syndici, legati officio licet ſe excuſare, *l.* 14 *pr. ff de mun. & hon. l.* 1. *C. de decur. l.* 1. *§.* 2. *l. fin. §.* 13. *ff. de mun. & hon.* dummodo ſummæ neceſſitatis caſus abſit, *c.* 2. *x. de cenſ. c.* 2. *x. de immun.* tantâque ſit violentia morbi, quæ ne ſuis quidem rebus benè præeſſe patiatur, *l.* 10. *§. ult. ff. de excuſ. tut.* Nec enim levis podagra ſtatim à perſonalibus muneribus liberat. *l.* 3. *C. qui morb. ſe excuſ. l.* 15. *C. de decur.* Magnif. Dn. Richter. *p.* 1. *conſ.* 24. *per tot.* Tutelam itidem & curam vel ſuſcipiendam detrectare, *§.* 7. *Inſt. de excuſ. tut. l.* 10. *in f. ff. eod. l. un. C. qui morb.* vel jam ſuſceptam deponere poterit ægrotus, *d. l.* 10. *l.* 11. *l.* 40. *ff. de excuſ. tut l. un. C. qui morb.* cum periculum, ne ipſe pupillus damnum inde ſentiat. *d. l.* 10. *§. ult.* Sed & in clericali vel alio officio conſtitutus illi liberè renunciat, ſi ad iſtud exſequendum per morbum inhabilis redditur. *c.* 10. *c.* 11. *x. de renunc.* Huc etiam referri poteſt, quod ægritudo excuſet à comparitione in curia, *l. fin. C. de legat.* concilio, *c.* 10. 13. 14. *diſt.* 18. & conclave, tempore electionis

Pon-

Pontificis, quô etiam exire licet infirmitate urgente, & illâ ceſſante ad id redire. *c. 3. §. 1. & §. ſanè. de elect. in 6to.* Quæri quoque hic poſſet: An legatus, ad comitia miſſus à Principe imperii, ſi ægritudine impeditus ipſe aliquando non comparеat, tertium quendam ſubſtituere poſſit, qui in comitiis domini ſui votum proferat? *De quô vid. l. 4. §. 4. ff. de legat. l. 11. pr. ff. eod. Colleg. Argent. tit. de leg. n. 4. Kirchn. tr. de leg. lib. 1. c. 5. n. 32. Dn. Nic. Myler. tr. de Princ. & Stat. imper. part. 1. cap. 15. n. 18. Arum. diſc. jur. publ. 9. th. 55. Vol. 1.*

XII.

Procedunt igitur hactenus dicta in muneribus perſonalibus, non realibus, quæ rei inhærentes perſonæ qualitatem non reſpiciunt, *l. 11. ff. de vacat. & excuſ. l. 2. C. de mun. perſ.* ut proindè facilè inferri liceat, morbum ab oneribus & collectis tam publicis, ut Reichs-Anlagen / Reichs-ſteuer / Türcken-ſteuer / Römerzug ꝛc. *Bocer. de collect. cap. 3. n. 1.* quàm privatis, Præfecturalibus ſcilicet & municipalibus, ſive ordinariis, ſive extraordinariis præſtandis nulliter excuſare. *l. 18. §. 3. & 29. ff. de mun. & honor. l. 11. C. de vac. & excuſ. mun.* Sed quid ſentiendum de oneribus mixtis? Videtur quod, dum regulariter naturam merè perſonalium ſapiant, ut notat, *Georg. Mund. à Rodach. tr. de muner. in præfat. n. 40.* ab illorum præſtatione ægroti excuſentur. Sin verò non ſimpliciter perſonarum, ſed etiam patrimoniorum reſpectu onus mixtum ſit impoſitum, ægrotus id præſtare tenetur. *Bald. in auth. defuncto. C. ad SCT. Tertull.* Tales enim collectæ licet ſint formaliter onera perſonarum, materialiter tamen de rebus præſtantur. *Sim. Piſtor. Conſ. 2. n. 16. Vol. 11.*

CAP. III.
De acquiſitione & alienatione ægrotorum.

I.

ÆGroti dominium rerum acquirunt modis omnibus jure gentium introductis, vel civili jure inventis & conſtitu-

304

tis. *arg. l.27. C. de teſtam.* idemque ipſorum facto quovis modo licito in alium transferunt, *arg. l. 21. C. mand. l.16. ibiq, Bald. C. de donat.* Hi enim omnes actus juris æquè ac ſani ſive per ſe, ſive per alium *l. 43. §. 1. ff. de procur. c. qui facit. 72. de R. I. in 6to.* expediunt, *ut docet Burſat. conſ. 40. n. 74. lib. 1. Ioh. Andr. in c. ſine culpa. de R. I. in 6to. Iaſ. in l. 4. C. qui teſt. fac. poſſ.* ſi modo ſanæ mentis ſint. *arg. l. 15. l. 29. C. de teſtam.* Sine ipſorum facto vix eſt, ut quicquam ex bonis illorum ad alium tranſeat. Sic non privantur emphyteuſi, ſi in ſeculari per triennium, per biennium in eccleſiaſticâ emphyteuſi *l. 2. C. de jur. emphyt. c. ult. x. de loc. cond.* canonem ob morbum ſolvere ceſſaverint, *Bec. conſ. 104. lib. 1.* Item vaſallus, ſi morbo impeditus intra anni ſpacium inveſtituram petere neglexerit, *II. F. 24.* à privationis pœna excuſatur; nec feudum amittit, ſi domino feudi debita ſervitia non præſtiterit, *l. 4. §. fin. ff. de re milit. l. 15. ff. de oper. libert. Bald. in c. 1. col. 3. I. Feud. 3. II. Feud. 28. §. 1.* Niſi vitium morbi ſit perpetuum, tunc enim ſive caſu ſive naturâ id vaſallo obvenerit, feudum extinguitur, *I. F. 6. §. ult. II. Feud. 36.* & ad dominum redit, ſi id ſit novum; ſin antiquum, non aliter quàm non extantibus liberis vel aliis, ad quos præ domino feudi ſucceſſio pertinet. *II. Feud. 21. Ludvv. tr. de ſucceſſ. feud. cap 2.* Iterim ægroto ex feudo juxta conditionem ſtatus alimenta aſſignanda erunt, *I. F. 6. §. ult.* prout ita in terminis reſpondiſſe Ampliſſ. Facult. Jurid. Jenenſ. menſ. Nov. Anno 1668. refert *Excell. Dn. Bechm. ICtus & PP. in Alma Salana in not. ad Ludvv. Synopſ. jur. feudal. p. 114. obſ. 3.*

II.

Conſtat autem ex jam dictis, quod morbus ægrotis facultatem donandi haud adimat; eſt enim illa reſpectu donantis modus transferendi dominii, quem morbus non impedit aut tollit, ut ſupra oſtenſum. Donat autem ægrotus aliquid donatione vel inter vivos, vel mortis cauſa. In dubio tamen, ubi ægrotus ſine mortis mentione aliquid donat, inter vivos & magis moriens, quàm mortis cauſa donaſſe cenſetur. *l. 42. §. fin. ff. de mort. cauſ. donat.* Id quod hodiè non amplius obtinere putat *Simon. Grœnevv. tr. de legib. abrog.* ubi ab infirmô in extremis vitæ con-

ſtituto

ſimto donatio facta; rectè ob id notatus à Magnif. Dn. Lauterbach. *ICto celeberrimo, in Diſſert. de mort. cauſ. donat. th. 30.* quia contraria illa conſuetudo nondum eſt probata, unde ſatius erit in judicando legis diſpoſitionem ſequi, *arg. l. 32. §. fin. C. de appellat. l. 27. C. de teſtam.* Mortis cauſa donatio ſi facta eſt intuitu certi alicujus morbi, evaneſcit ipſo jure, ubi ægrotus ex illo morbo non decedit, *§. 1. Inſt. de donat. l. 29. l. 35. §. 1. ff. de mort. cauſ. donat. l. 1. pr. §. 3. ff. de cond. & demonſtr.* quia ſub conditione facta eſt, quâ deficiente & ipſa donatio deficit & quaſi reſolvitur. *d. l. 35. §. 1.* Secus ſe res habet, ſi ſola mortalitatis cogitatione facta eſt donatio: tunc enim licet donante ſæpius in adverſam valetudinem inciderit, & poſtea reconvaluerit, donatio non fit irrita, *Bach. ad Tr. D. 19. th. 9. p. 163.* niſi eam expreſsè vel verbis vel facto revocet; quod facere non poteſt donator, ſi donatio facta eſt illi, qui durante morbo diligenter ipſi ſervitia præſtitit, *l. 34. §. 1. ibiq; gl. ff. de donat.* Ægrotanti enim ſervitia exhibens, dicitur benè meritus, ut habet *Borr. deciſ. 128. n. 12.* Jure Sax. certis limitibus illa licentia ægrotis eſt circumſcripta, in Weichb. *art. 65. ubi gl. verſ.* zum dritten. *& verſ.* wie diß zu reden ꝛc. Landr. *lib. 1. art. 52.* §. Wer in Kranckheit ꝛc. *ibiq; gl. ordin. Conſ. Zobel. part. 2. def. 28. n. 5. Coler. Deciſ. 11. n. 2. Rauchb. p. 1. q. 32. n. 30.* Requiritur tamen, ut is, qui excipit donationem ob morbum donantis eſſe invalidam, aſſerti ſui juſtam probationem afferat, *de quo vid. infr. cap. 7.* Hôc locô indicaſſe ſufficiat, quod textus alleg. jur Sax. de donatione ſimplici ſeu propriè dicta non reciprocâ, propter nuptias, aut aliâ donationis ſpecie ſint intelligendi, *Zobel. cit. loc. n. 20.* & illos hodiernam obſervantiam fori ampliùs non agnoſcere, ut de hôc teſtatur, *Weſenb. in addit. ad Schneid. ad §. 2. Inſt. de donat. n. 40. lit. Dn. Carpz. p. 2. conſt. 12. def. 11. n. ult.*

III.

Deindè indubitati juris eſt, corporis imbecillitatem teſtamenti factionem non adimere, *l. 3. C. qui teſt. fac. poſ. Conf. Menoch. arbitr. judic. cent. 1. caſ. 97. & præſ. 8. n. 24. Fachin. contr. lib. 10. cap. 17.* quæ quidem ſuſpenditur, ſi animi ſenſa tempore

teſta-

teſtamenti conditi non fuerint illæſa. *l. 9. C. d. t.* In eô enim qui teſtatur, ejus temporis, quô teſtamentum facit, integritas mentis, non corporis ſanitas exigitur. *l. 2. ff. qui teſt. fac. poſſ.* Quâ de cauſa etiam balbutiens & ἡμιθανὴς ἢ ἡμιψυχὸς, i. e. ſeminecis aut ſemianimis, *Liv. lib. 3. & 9.* validè teſtamentum facere poſſunt, *arg. l. 15. l. 42. ff. de mort. cauſ. donat. l. 15. C. de teſtam. l. 29. C. eod. Nov. 119. c. 9.* ſi modo articulatè, i. e. cum ſermonis intellectu locutus ſit, *d. l. 29. Nov. 119. cap. 9.* quo deficiente mortuo ſimilis habetur, nec teſtamentum factum ſubſiſtit. *d. l. 29. ibique Iaſ. n. 2. & 3. Petr. Peck. de teſt. conj lib. 1. cap. 17.* Quem in finem Notarii plerumque in ægrotorum teſtamentis certam clauſulam præmittunt, quam tradit *Berlich. p. 3. concl. 6. n. 10.* quæ quidem nihil amplius operatur, quam ut majorem præſumptionem inducat, teſtatorem articulatè locutum fuiſſe. *Berl. d. l. n. 11.* Erit itaque teſtamentum nutu vel ſignis factum ipſo jure nullum & invalidum, *Iaſ. in d. l. 29. n. 4. Card. Thuſch. Tom 8. pract. concl. tit. T. concl. 132. n. 1.* licet teſtator fuerit miles, *Iaſ. d. l.* aut pater inter liberos id confecerit, *Iul. Clar. lib. 3. ſent. §. teſtament. q. 8.* aut teſtamentum ſit ad pias cauſas conditum. *Paul. de Caſtr. in l. 22. C. de fideic. Cravett. conſ. 670. n. ult. Vol. 11.* Et hactenus dicta etiam jure Sax. obtinent, prout iſtud expreſsè docet *Conſt. Saxon. Tom. 2. p. 2. q. 19. n. 1.* quam approbavit Sereniſſ. Elect. Saxon. Auguſt. *in ſuis Novell. p. 3. conſt. 5. ubi Dan. Möll. & Carpz. Iuriſpr. forenſ. def 1. ſeqq.*

IV.

In teſtamento tempore peſtis condito numerus ſeptenarius teſtium jure civili non eſt remiſſus, *l. 8. C. de teſtam. Petr. de Magdal. de num. teſt. in teſtam. requiſ. cap. 11. ampl. 8.* ſed ſaltem earum conſociatio, *Magnif. Dn. Struv. Synt. jur. civ. Ex. 32. th. 21.* Moribus verò & ſecundum obſervationem cameræ etiam de ſolenni numero ob favorem ultimarum voluntatum remittitur. *Mev. ad jus Lubec. p. 2. l. 1. art. 2. n. 44. Gail. lib. 2. obſ. 11. n. 8.* Nec neceſſe eſt, ut ipſe teſtator decumbat, vel domus ejus ſit infecta, ſed ſufficit, ſi peſtis in loco graſſetur, *Berl. p. 3. concl. 5. n. 23.* Tale teſtamentum vim ſuam retinet non in perpetuum ſed per annum, poſtquam peſtis ceſſavit, ut benè cum *Vaſq. l. 3. §. 30. n. 50.* ſtatuit *Dn. Struv. cit. loc.*

V.

Valet porrò teſtamentum tanquam publicâ fide confe-ctum, ſi is, qui ægrotat, voluntatem ſuam precibus inſertam Principi per alium offert, nec in tali caſu ipſius teſtatoris præ-ſentia deſideratur. *l. 19 C. de teſtam.* Sic ſubſiſtit quoque teſta-mentum coram Secretariis duobus à Principis curiâ miſſis con-ditum. *arg. d. l. 19. verb. probatas perſonas. Conſt. Elect. 3. p. 3. Dn. Struv. cit. loc. th. 9.* Fit etiam quandoque, ut teſtator, dum vult condere teſtamentum apud acta, idque propter morbum ipſe offerre nequit, petat à magiſtratu, ut quidam mittantur, qui ultimam ejus voluntatem excipiant. *Carpz. p. 3. conſt. 3. def. 1.* Quô caſu ſufficit, ſi coram judice & notario teſtamentum con-ficitur, nec Scabini deſiderantur. *Dn. Struv. cit. loc. in f. Salyc. in l 12. C. de pact. Dan. Venat. ad tit. x. de teſtam.*

VI.

Denique legata relicta ob morbum legantis non vitiantur nec extinguuntur, vel revocata præſumuntur, etſi ille ex hôc morbô non decedat. *l. 22. in f. ff. de leg. 2. l. 11. §. 12. ff. de leg. 3.* Quod limitatur ſi morbi vocabulum demonſtrativè ſit adjectum. *arg. l. 37. pr. l. 15. ff. de mort. cauſ. donat. l. 19. ff. de reb. cred. l. 4. §. 1. ff. de dol. mal except.* Quod ſi ægroto legatum cum condi-tione quadam ſit relictum, quam implere morbus impedit, ille nihilominus legatum lucratur. Implenda eſt enim voluntas teſtatoris, ſi poteſt legatarius, *l. 8. §. 7. in f. ff. de cond. inſtit.* & neceſſe eſt, ut per legatarium ſtet quo minùs voluntatem defun-cti impleat, aliàs legatum non amittit. *l. 23. ff. d. t. l. 92. §. 1. ff. de leg. 1. l. 88. §. 3. ff. de leg. 3. c. 41. de R. I. in 6to. Perez. ad tit. C. de inſtit. & ſubſtit. n. 7. Mich. Graß. ſentent. §. legatum. q. 46. n. 19.* Hinc licet regulariter legatum, ſub conditione *ſi ſtudue-rit*, relictum intelligitur, ſi ad Doctoratum pervenerit, quòd dignitas iſta ſit ſtudiorum finis: *Menoch. Arbitr. jud. caſ. 237. n. 31. & n. ſeq. Decian. conſ. 177.* tamen legatum ita alicui reli-ctum legatarius lucratur, ſi propter morbum dignitatem Docto-ralem non ſit adeptus. *Menoch. d. loc.*

366

CAP. IV.

De effectibus morbi in obligationibus ex contractu deſcendentibus.

I.

CUm voluntas hominis in actionibus moralibus contemplatione objecti per potentiam intellectivam propoſiti, ſe jungit vel ſenſui vel rationi, duo genera factorum inde naſcuntur, unum eorum, quod per ſe eſt licitum, & *Ariſt. V. Ethic. 5.* συναλλάγμα ἑκούσιον dicitur: alterum, per ſe illicitum, & ab Ariſtotele συναλλάγμα ἀκούσιον appellatur. *Gyph. V. Eth. 2. p. 350.*

II.

Ad primum genus pertinent omnes conventiones & contractus, quorum obligationibus quilibet debet ſatisfacere, aut, niſi intermiſſionis juſtum alleget & probet impedimentum, pro qualitate negotii damnum & intereſſe præſtare. Legitimum enim impedimentum, ſi non provenit ex facto ipſius impediti, *Bart. in l. 2. §. 3. ff. ſi quis caut. jud.* excuſat contumacem tàm in civilibus quàm criminalibus. *Farin. q. 11. n. 52. usq. 60. Pariſ. conſ. 102. n. 3. lib. 4.* Inter quæ etiàm referri debet infirmitas, *arg. l. 2. § 3. ff. ſi quis caut. l. 60. ff. de re jud.* quippe quæ non ſolum ab intereſſe, ſed quandoque etiam ipsâ obligatione principali adimplenda liberat.

III.

Nam quod ad obligationes attinet, diſtinguendum erit, num illæ in dando, an verò in faciendo conſiſtant, i. e. num datio aut factum in conventionem ſit deductum. Hoc modo, quia morbus eſt caſus, qui accidit circa perſonam, quæ factum promiſit, ægrotus ad præſtationem facti non tenetur, in tantum, ut non ſolum, ſicut quilibet alius factum promittens, re integrâ liberè à contractu reſilire poſſit, *l. 72. verſ. Celſus. ff. de V. O. l. 13. §. ult. ff. de re judic. l. 113. ff. de R. I. §. fin. Inſt. de V. O. per rationem à Dn. Strum. Syntag. jur. civil. Ex. 47. th. 22. allatam*: Sed etiam per allegationem juſti impedimenti à præſtatione in-

eſſe

eſſe ſe liberare. *l. fin. §. 1. verſ. idem juris. ibiq. Paul. de Caſtr. §. pen. ff. ad L. Rhod. de jact. l. 5. pr. ff. de cond. cauſ. dat. l. 15. pr. & §. 1. ff. de oper. libert. Dec. ad l. 5. n. 1. & 22. ff. de reb. cred.* Habetur enim factum, quod ab ægroto expediri debet, quandoque pro impleto. *Bald. conſ. 57. n. 3. lib. 5.* Quod fallit in famulis infirmis, qui pro tempore infirmitatis mercedem petere nequeunt, ſi diutius operas non exhibent. *l. 15. §. 6. ff. loc. cond. Didac. Covarruv. var. reſol. lib. 3. c. 3. n. 8. Surd. de alim. tit. 4. q. 23 n. 35.* Commiſerationis tamen & pietatis ratio exigit, ne famuli ægroti incontinenti domo ejiciantur. *arg. l. 4. §. 5. ff. de Stat. liber. Dn. Struv. Ex 24. th. 22. Sebaſt. Med. de caſ. fort. p. 2. q. 6. n. 1.* Iſtud quoque adjiciendum, quod ſi aliquid datum ſit, ut rurſus aliquid fiat, factum non habeatur pro præſtito, licet id propter ſupervenientem morbum præſtari nequeat; ſed dabitur condictio cauſa data cauſa non ſecuta, ita tamen, ut ſi is qui factum promiſit, aliquid ob id jam impenderit, indemnis ſervetur. *l. 5. pr. ff. de cond. cauſ. dat.*

IV.

Priori modo ubi in dando conſiſtit obligatio, iterum diſtinguendum eſt, an ægrotus debeat dare ex contractu nominato certam ſpeciem, an verò quantitatem. Si certam ſpeciem, procul dubio morbus ipſi nihil proderit, ne cogi poſſit, ut obligationi ſatisfaciat, & rem, quam ipſe poſſidet, alteri præcisè exhibeat ſeu tradat. *l. 75. §. fin. ff. de V. O. l. 25. ff. de contr. emt. l. 68. ff. de rei vind.* Niſi res tradenda ejus ſit conditionis aut qualitatis, ut illâ ægrotus ſine diſcrimine vitæ carere non poſſit, e.g. medicamentum quod conducit ad curationem morbi: tunc enim ob favorem ægrotorum ex pietatis ratione meritò alter rem ſuam etiam invitus vendere & æſtimationem ejus accipere tenetur. *Covarruv. lib. 2. var. reſol. cap. 3.* Sin ad certam quantitatem præſtandam quis ſe obligavit, etiam per morbum ab obligatione haud eximitur. Quod forſan limitationem recipit, ſi paupertas cum ægritudine diu duratura concurrit; quia tunc ob beneficium competentiæ ægrotus debet condemnari ſaltem in id, quod facere poteſt, & retinere, quantum pro facultate perſonæ ex boni viri arbitrio ad vitæ ſuſtentationem & morbi cura-

307

tionem neceſſe habebit. Cavebit tamen de integra ſolutione, ſi poſt reconvaleſcentiam ad meliorem fortunam pervenerit. *arg. l. un. §. 7. C. de rei. ux. act. l. 63. §. 4. ff. pro ſoc. l. 47. §. fin. ff. de pecul.* Fidejuſſori verò, qui pro debito interceſſit, id non prodeſt, ſed poteſt is à creditore de reſiduo debiti ſolvendo adigi; eſt enim exceptio competentiæ exceptio perſonalis, *l. 16. l. 17. ff. de re jud.* cujusmodi exceptiones fidejuſſoribus non competere conſtat *ex l. 7. pr. ff. de except.*

V.

Intereſſe ob moram in ſolutione commiſſam non præſtatur, ſi morbus impedimento fuit, quo minus ſolutio à debitore facta ſit. *l. 115. §. 2. ff. de V. O. l. 5. ibiq; Dec. n. 22. ff. de reb. cred.* Stante enim difficultate & impedimento non videtur quis eſſe in culpa, & ſic nec in mora. *l. 21. ibiq; Salyc. ff. de uſur. l. 14. pr. de re milit.* Aliud tamen obtinet, ſi per conventionem aut ſtipulationem pœna loco ejus quod intereſt contractui ſit adjecta eum in caſum, quô quovis modo aliquid tempore determinato non datur, quod dari debuit: nam licet poſtea morbus cauſa ſit, quare conventioni non ſteterit promiſſor, nihilominus ſtipulatio erit commiſſa. *arg. l. 77. ibiq; Bart. ff. de V. O. l. 9. §. 2. ff. locat.* Idque ideò, quod per ſingularem illam conventionem pœna ſit quaſi pars obligationis principalis, & efficit, ut mora potius ex re ipſa quàm ex perſona venire videatur. *gl. Accurſ. ad l. 77. verb. pœna. ff. de V. O.* Præterea mora facilè non purgatur, ubi dies & pœna eſt in obligatione, *per l. magnam. C. de contr. & comm. ſtipul. Arum. tr. de mora. cap. 8. n. 8.* Dies enim appoſitus plus operatur quàm interpellatio hominis *ex ſententia Bart. & Alex. quos allegat. Dec. ad d. l. 5. n. 17. ff. de reb. cred. Conf. Bacb. ad Tr. D. 3. th. 7. lit. D. p. m. 149. Vol. I I.*

CAP. V.

De effectibus morbi in obligationibus ex delicto provenientibus.

I.

HÆc de obligationibus ex factis licitis. Sequitur ut diſpiciamus porrò quid operetur morbus in obligationibus

quæ

quæ oriuntur ex factis illicitis ſeu maleficiis. Ubi attendendum, num ægrotus ſit is, qui deliquit; an is, in quem delictum fuit commiſſum. Quod primum attinet, ſciendum eſt, ægrotos, ſi ob morbum ratione deſtituti aliquid perpetrent, propterea pœnam non incurrere. *l. 3. §. 1 ff. de injur. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 12 ff. ad l. Corn. de ſicc. l. 40. de R. I.* Si enim illi, dum rationis uſu carent, nec doli nec culpæ ſunt capaces, quid mirum ſi legibus nullam ipſis reperimus ſtatutam eſſe pœnam? Unde hujusmodi perſonæ nec de damno reſarciendo tenebuntur. *d. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil.* Sibi enim imputet is, qui conditionis hominis non ignarus, res ſuas diligentius haud aſſervavit. Quod ſi ægrotus cujusdam curæ eſt commiſſus, & is negligentia cuſtodis ſibi præſumpſerit alteri damnum inferre, dubium non eſt, quin hic de damno reſtituendo conveniri poſſit. Sed & ſi ante ejusmodi morbum, qui uſum rationis impedit, crimen ſit admiſſum, ſupervenienteque poſtea morbo delinquens ſaltem pœnæ extraordinariæ ſubjici poterit, ut ſtatuit *Carpz. pr Cr. p. 3. q. 145. n 22. Dn Struv. Syntag. jur. civ. Ex. 48. th. 10.*

II.

Cæterum prudentis judicis eſt, ita ſe moderari, ne ſtatim in carcerem conjiciat ægrotum, qui criminis, etiam capitali animadverſione digni, arguitur. *Angel. tr. de malef. §. quod ſam. publ. prae. n. 71. p. m. 258. & n. 84. Bart. in l. 9. §. ult. ff. ad L. Iul. pecul. gl. in l. 5. §. 2. ff. commod. Carpz. pr. Cr. p. 3 q. 191. n. 21. & ſeqq.* Sed debet is ægroto aut locum commodiorem conſueto carcere eligere, in quo captivus detineatur, aut eum pro ratione circumſtantiarum, donec reconvaleſcat, in domo ſuâ, additis cuſtodibus, relinquere. Nam quia cauſa capturæ, ne rei per fugam pœnæ ſe ſubtrahant, *Carpz. cit. loc. n 41.* in ægrotis aliquando ceſſet, dum credibile ſit, illos, tanquam perſonas debiles, tam facilè aufugere non poſſe; præterea ſqualore, humiditate, atque crudelitate carcerum ſæpius animi corporisque dolores creſcere atque ſe augere ſolent: laudandus omninò erit iſte judex vel magiſtratus, qui miſerabilibus hiſce perſonis ſe mitem magis quàm ſeverum præbet. Id enim debet judex intendere, ut reum vel innocentiæ vel ſupplicio ſalvum relin-

quat. *arg. l. 7. in f. ff. de quæſt.* An verò præſtita cautione per fidejuſſores de non decedendo æger carceratus ex carcere ſit dimittendus? *vid. ap. Gabr. Eugen. Conſ. 170. Vol. 2. Conf. Dn. Struv. Syntagm. jur. civ. Ex. 47. th. 39.*

III.

Reum valetudinarium in vinculis conjectum, & delictum negantem, vel non cum omnibus circumſtantiis confitentem, judex torturæ non ſubjiciat, etiamſi cauſam ſatis inveniat qualificatam. Totum quippe reſidet in pectore boni judicis, æſtimare quô moderamine ſit habenda quæſtio, *arg. l. 10. §. 3. ff de quæſt.* conſiderando torquendi vires, ætatem, valetudinem, qualitatem delicti & perſonæ. *Imol. conſ. 175. in f. Vol. 2. Carpz. pr. Cr. q. 119. per tot.* Neceſſe verò eſt, ut, ſi morbus aliquem à tortura excuſare debet, is medicorum atteſtatione ita judicetur periculoſus, ut tormentis adhibitis mors ſecutura ſit. *arg. d. l. 7. ff. de quæſt. l. 3. pr. ff. ad SCT. Syllan. Franciſ. Caſon. in tr. de torm. cap. 10. n. 8.* Tunc enim id operatur morbus, ut quis ſaltem verbis, vel ad ſummum inſtrumentis ad comprimendos pollices comparatis, funibusque adhibitis, veritatis eruendæ gratia terreri poſſit. *arg. l. 1. §. 3. ff. ad SCT. Syll. Carpz. cit. loc q. 118. n. 47.* Ceſſante autem vitæ periculô, torturam, etiam eam quæ fit in ſcala cum membrorum expanſione, hôc morbi prætextu nullus evitabit, utut pro ratione circumſtantiarum æger mitius ſit tractandus, *per Ord. Crim. Carol. V. art. 59. Farin. in pr. Cr. quæſt. 41. n. 93.* Idque adeò, ut ſi judex affectibus ſuis indulgens hæc non conſideret, & ſine ratione ad torturam prorumpens reum perire faciat, ipſe reus mortis efficiatur, ſi ipſius culpa reum periiſſe convinciri poſſit. *Farin. d. l. q. 137. n 112. Conf. Paul. Zach. quæſt. med. legal. lib. 6. tit. 2. q. 4. n. 7. uſq. 16.* nomina morborum à tortura excuſantium longâ ſerie enumerantem.

IV.

Conſtat ex jam dictis, quod ob adverſam valetudinem reo crimen confeſſo pœna quoque mitiganda ſit, *arg. l. 22. ff. de pæn.* quia illi qui torqueri nequit, nec pœna corporis afflictiva poteſt irrogari, prout ita argumentatur *Carpz. pr. Cr. 3. q. 144. n. 45.* qui aſſer-

aſſertionem hanc alio quoque argumento à ſenibus *ex l. 3. §. 7. ff. ad SCT. Syll.* deſumto roborat, eandemque *à n. 52. d. quæſt. usque ad fin.* duabus reſtrictionibus limitat. *vid. Paul. Zacb. d. l. q. 8. per tot.* Quod ſi judex inferior ægroto pœnam mitigare nollet, poterit implorato ſuper id judicis ſuperioris auxilio cogi, ut illi leviorem pœnam imponat. Ea enim quæ in alicujus favorem legibus ſunt introducta, nemini à judice auferri poſſunt, quippe quæ judicis liberam voluntatem reſtringunt, ut officio ſuo ſatisfeciſſe videatur, dum ea obſervat, quæ legibus continentur. *arg. pr. Inſt. de offic. jud. l. 1. §. 2. ff. quæ ſent. ſin. appelat.*

V.

Hæc ita ſe habent, quando ipſi ægroti deliquiſſe probantur; vel quando quidem adhuc integræ valetudinis quis delictum commiſit, quod tamen non niſi poſtquam ægrotari cœpit, ad notitiam pervenit. Quandoque verò accidit, ut ipſis ægrotantibus injuria inferatur. Id quod quò atrocius eſt, & quò magis abominandum, eò majori ſeveritate & animadverſione erit dignum. Videndum tamen dolo an negligentia delictum ſit perpetratum. Dolus enim delictum ſemper aggravat, & majori pœna id puniendum eſſe ſuadet. Unde ſi quis dolo ægrotum occidit, pœna gladii ex L. Cornelia de ſiccariis coërcetur. *§. item Lex. Corn. Inſt. de judic. publ. l. 3. §. 5. ff. ad L. C. de ſicc.* Cum quo conſentit Landr. *Lib. 2. art. 3. & Conſt. Elect. Sax. p. 4. conſt. 5.* Huic ſi ſpes lucri & intentio ſpoliandi accedit, pœnâ rotæ tanquam latrones delinquentes plectuntur. *O. Cr. art. 130.* Quò tendit etiam *d. Conſt. Elect. ibique Carpz. def. 1. n. 6. def. 2. n. 1. def. 4. n. 4. &* Landr. *art. 13. lib. 2.* Committitur enim in privatis ædibus hoc modo æquè latrocinium atque in viâ publica. *Carpz. pr. C. p. 1. q. 22. n. 19.* Quare ſi adeſt criminis reiteratio, ſupplicium uſtulatione forcipum candentium augetur. *Ord. Crim. art. 130. Dan. Möll. ad dict. Conſt. Elect. n. 1.*

VI.

Sed aliud hôc dicendum erit, ſi alterius culpâ vel negligentia ægrotus perierit. Scilicet quia in cauſis criminalibus culpa

culpa vel negligentia dolo non æquiparatur, *l. 7. ibique Bart. & gl. ff. ad L. Corn. de ſiccar. Clar. in pract. §. ult. q. 84. in pr. Ludov. Comm. ad §. 6. Inſt de ſuſpect. tut. & Ex. 3. th. ult. lit. b.* patet, ordinariam homicidii pœnam delinquenti non imponi poſſe, *l. 1, C. ad L. Corn. de ſicc. l. 33. ff. de injur. Ioh. Damhaud. in pr. Crim. c. 85.* ſed illum ſaltem arbitrariè puniri. Hinc medicus ex imperitia, quæ culpæ adnumeratur, hominem occidens, ſaltem actione L. Aquiliæ tenetur. *§. 7. Inſt. ad L. Aquil. conſ. infr. cap. 8. §. 11. & Conſt. Elect. 5. p. 4.* Illi quoque, quibus commiſſum eſt, ut curam ægrotorum gerant, pro ratione circumſtantiarum carcere vel relegatione puniuntur, ſi per ipſorum culpam aut negligentiam ægrotos ſibi commiſſos fame aut inedia perire patiantur. *d. Conſt. Elect. 5. part. 4. §.* Die jenigen aber ꝛc. *ibiq. Carpz. def. 3. per tot.*

VII.

Quæritur hoc loco, an, ſi ægrotus ab aliquo læſus, & jam in mortis periculo conſtitutus, in confeſſione remittat injuriam illatam, is nihilominus ſanitate recuperatâ actione injuriarum contra lædentem experiri poſſit? Negat id *gl. in § ult. verb. revocaverit. Inſt. de injur.* & per eam *Cyn. quem refert Bald in l. 2. ff. ad SCT. Syll. Imol. in c. hu. x. de accuſ. & Abb. in c. 1. x. de injur.* Sed pro meliori hujus controverſiæ enodatione, ſecutus *Bald. in l. 11. §. 1. ff. de injur.* tres pono terminos: Aut enim remiſſio injuriarum plenè facta eſt, aut ſaltem quoad rancorem animi, aut dubitatur, an plenè eam remiſerit læſus, nec ne. Primo caſu verum eſt, quod læſus nullo modo injuriam vindicare poſſit, per *§. ult. Inſt. de injur. l. 11. §. 1. ff. eod. arg. l. 17. §. 1. ff. de pact.* adeò ut plenaria remiſſio etiam à repetitione damni & intereſſe injuriatum excludat. Jam verò ulterius dubitatur, quando quis dici poſſit plenè ſe remiſiſſe injuriam in confeſſione? Et videtur quod tunc, quando quis non generaliter, ſed in ſpecie hujus injuriæ in confeſſione verbis expreſſis mentionem facit, & dicit, ſe nunc velle omne odium deponere, injuriam remittere, & omni intereſſe & damni repetitioni renunciare. *vid. Bald. in l. 17. § 1. ff. de pact. & in l. 7. pr. ff. de cond. furt.* Sic enim claudicat ratio, quam diſſentientes urgent, ſc. quod dum interceſſit miniſter

eccleſiæ,

eccleſiæ, cui ægrotus ſtipulata manu promiſit, ſe nolle amplius de injuria cogitare, reo per eum tanquam per perſonam publicam, *arg. l. 1. §. 2. ff de I. & I.* acquiratur liberatio ab obligatione ex delictô nata, *Bart. in d. l. 1. §. 2. ff. de juſt. & jur. & in c. quamvis. de uſur. in 6to. Innoc. in c. veniens. x. de renunciat.* & exceptio non competentis actionis, quæ prodeſt ipſi reo in foro judiciali ad excludendam actoris intentionem. *Maſc. de probat. concl. 901. n. ult. Vol. 11. & Bart. in l. 11. §. 1. ff. de injur.* Nam ſi quis per executorem ſecularem acquirit actionem & exceptionem, *l. 25. § 1. C. de Epiſc. & cler. auth. Generaliter. C. eod.* multò magis per executorem & miniſtrum eccleſiæ. *Specul. in Add. tit. de inſtrum. edit. § num verò aliqua. lit. L. Alex. in l. 17. §. 1. ff. de pact. Covarruv. lib 2. var. reſol. cap. 10. n 6.* Modo tamen ſacerdos nomine & vice offendentis remiſſionem injuriæ acceperit: ſiquidem hoc omiſſo, licet moriens offenſus pacem promiſerit per ſtipulationem in manu ſacerdotis, nihilominus reconvaleſcens poteſt revocare talem promiſſionem, etiam juramento confirmatam, per ea quæ habet, *Angel. d. tr. de malef. verſ. compar. dict. inquiſ. n. 29. p. m. 686. Conf. Guilielm. Ameſ. tr. de conſc. ejusque jur. lib. 5. cap. 6. n. 3.*

VIII.

Alter noſtræ quæſtionis caſus eſt, cum quis remittit ſaltem rancorem animi. Quia enim non eſt de neceſſitate ad ſalutem animæ (cujus quidem nemo præſumitur immemor. *l fin. ibiq. gl. verb. arbitratur. C. ad L. Jul. repet*) ut quis totam injuriam remittat, ſed ſufficiat remiſiſſe animi rancorem ex doctrina *Bart. in l. 11. §. 1. ff. de injur. Clar. ſent. lib. 5. §. fin. & pract. crim. q. 58. p. 158.* igitur ſi conſtat de tali remiſſione, actio injuriarum, quatenus eà æſtimatio injuriæ petitur, erit quidem ſublata, *l. 11. §. 1. ff. de injur. l. 17. §. 1. ff. de pact.* ſatisfactio verò pro injuria, quæ pœnam & intereſſe comprehendit, non videbitur remiſſa. *Angel. cit. loc. p. 685.* Remiſſio enim rancoris principaliter pertinet ad forum conſcientiæ, per quam cenſetur ſublatum jus accuſandi, non petitio & perſecutio ejus quod intereſt, *Covarruv. cit. loc.* qui teſtatur, quod hoc ſit communis Dd. op[illegible]. *Conf. Pract. Corrad. fol. 411. n. 32. Felin. in c. 8. n. 7. x. de maj. & obed. & in c.*

310

repellantur. x. de accuſ. Speculat. tit. de inſtr. edit. lib. 2 p. 2. §. nunc verò aliqua. lit. L. in f. Maſc. de probat. cit. loc. n. pen. Abb. in c. 1. n. 7. x. de injur. Videndum igitur erit, ſi ſecuri eſſe volumus, ut non ſolum nobis remittatur injuria ipſa, ſed ſimul etiam damna & intereſſe. *Bal. in d. l. 17. §. 1. ff. de pact.*

IX.

Reſtat tertius caſus decidendus, ubi læſus generaliter tantum in confeſſione promiſit ſacerdoti, quod velit condonare his à quibus ſit offenſus, num in dubio rancorem animi & offenſam, an totam injuriam remiſiſſe præſumatur? Communis Dd. opinio eſt, quod ſaltem animi rancorem & ipſius injuriæ æſtimationem. *arg. l. 25. pr. ff. de prob. l. 21. ff. de S. V. P. l. 20. pr ff. de S. R. P.* Etſi enim remittamus injurias & expulſiones & devaſtationes tamen non cenſemur remiſiſſe damna & intereſſe, ut inquit *Mynſ. cent. 3. obſ. 10. jung. gl. in c. & qui. verb. dimittit. diſt. 45.* Nec obſtat, quod pacis verbum ſit favorabile, *l. un. pr. C. de Caduc. toll.* & ſic ampliandum potius per præſumtionem plenariæ injuriarum remiſſionis, non per litium excitationem coarctandum. *l. Odia. ff. de R. I.* Reſpondetur enim præſumtiones hujusmodi toties non admitti, quoties illæ contrariantur expreſſæ legum diſpoſitioni. *arg. l. 137. §. 2. ff. de V. O.* Et quia idem hic contingeret, meritò iſta præſumtio plenariæ remiſſionis rejicitur. *Clar. d. §. fin q. 58. p. 158.* Interim monendum cum *Felin. in c. de his. n. 15. x. de accuſ. & Maſc. de probat. concl. 902. n. ult. Vol. 2.* diſtinguendum eſſe inter perſonam & perſonam. Sed quid eſt diſtringuere inter perſonam & perſonam? Puto idem eſſe ac videre, num perſona remittens ſit pia & conſcientioſa, nec ne, ita, ut poſteriori caſu ſaltim offenſa & rancor animi; priori, tota & plenaria actio dimiſſa præſumatur: quia perfectè evangelium ſervare velle intelliguntur, quô cavetur, quod debeamus dimittere debita debitoribus noſtris.

CAP.

CAP. VI.

De juribus morbi in judiciis & actibus judicialibus.

I.

HActenus de effectibus morbi in jure acquirendi. Nunc porrò videndum erit, quid operetur morbus in mediis jus acquiſitum perſequendi, quæ latiſſimo conceptu nomine actionis veniunt. *Bach. tr. de act. Diſp. 1. th. 11.* Proponuntur actiones in judicio, *pr. Inſt. de act. l. 13. ff. quod met. cauſ. l. 176. ff. de R. I.* quô vocabulo olim indigitabatur quando partes litigantes actionibus & exceptionibus, coram Prætore breviter propoſitis, & datâ ab eô formulâ ad judicem pedaneum mittebantur, ut hic ſecundum formulam præſcriptam de actione cognoſceret & ſententiam ferret. *d. pr. Inſt. de act. ibiq; Pac. verb. judicio. l. 42. pr. ff. de furt.* Magnif. Dn. D. Rebhan. *ICt. famigeratiſſimus, Com. Pal. Cæſ. & P.P. Patronus & Præceptor meus plurimum honorandus, in Hodeget. jur. Chart. II. Clim. IV. parallel. 2. n. 8. p. 668. Struv. Diſſ. 17. aph. 6. usq; 12.* Hodiè verò ſublatis formulis *d. t. C. de form. & impetr. ſublat.* & differentia inter judicia ordinaria & extraordinaria abrogata, *§. ult. Inſt. de interdict. l. 47. §. 1. ff. de negot. geſt.* quilibet magiſtratus poteſtatem habet de cauſis cognoſcendi.

II.

Perſonæ quæ judicium conſtituunt, ſunt vel principales, *l. 17. l. 62. ff. de judic. l. 13. C. eod. c. 10. x. de V. S.* qualis eſt (1.) judex, *l. 13. §. 2. ff. de recept. arbitr.* aut, qui huic ſimilis eſt, arbiter, *l. 1. ff. de recept. arbitr.* (2) actor, *l. 1. ff. de edend. l. 13. ff. de jud. l. 14. l. 29. ff. d. t. l. 19. ff. de probat.* & (3.) reus. *l. 3. ff. de jurejur. l. 83. §. 1. ff. de O. & A. l. 5. l. 6. C. de edend. l. 3. ff. de prob. l. 8. C. eod.* Vel ſunt acceſſoriæ; eæque aut reſpectu judicis, ut aſſeſſores, *l. 1. ff. de offic. aſſeſſ.* tabelliones, executores, viatores: aut reſpectu partium litigantium, ut advocati, *l. 1. & t. t. ff. & C. de*

poſtul. & procuratores. *l. 1. ff. de proc.* De ſingulis ordine pro inſtituto.

III.

Morbo ſontico laborans regulariter judex dari nequit, *l. 39. ff. de jud.* quia natura ipſi impedimento eſt, *l. 12. § 2. ff. d. t.* Sed exceptio eſt, ſi morbus ſit levis, nec diu duraturus, *l. 18. pr ff. de judic. l. 3. C. de offic. præf. prat. orient. Menoch. de præſ. lib. 2. præſ. 86. n. 12. & 13. Salyc. in l. 2. C. de Epiſc. & Cler.* aut ſaltim per intervallum temporis rediens, ut podagra, *l. 3. C. qui morb. ſe excuſ. l. 13. C. de decur. Magnif. Dn. Richt. part. 1. Conſ. 24.* ubi datus ad judicandum ob morbum recuſari nequit; *arg. d. l. 12. §. 2. & d. l. 39.* quia licet corpus ejus languet, animi tamen judicium minimè impeditur. *l. 2. §. 7. ff. de vacat. mun. c. 1. x. de renunc.* Unde & is, qui ab initio rectè judex datus eſt, in ſuo officio permaneat, licet morbus ſuperveniat, *l. 46. ff. de judic. l. 8. §. 1. ff. de tut. dat.* niſi longius ſpatium interceſſiturum ſit, quô ob debilitatem corporis ille in judicium venire non poſſet. *l. 18. pr. ff. de jud. l. 3. C. de offic. præf. Prat. Orient.* Illi præterea, cui judicandi munus defertur, licebit ſe ab eô excuſare, *l. 14. ff. de mun. & bon.* vel ſuſcepto officio renunciare, *l. 46. ff. de jud. conf. ſupr. cap. 2. §. 11.* vel denique alteri illud delegare. Nec refert hoc loco, ſpecialiter alicui cauſa delegata conceſſa, necne; *Dd. in c. ſi pro debilit. x. de offic. deleg.* nec, ſive illa cauſa ſit meri, ſive mixti imperii, *arg. l. 1 pr. ibi: abeſſe cœperit. ff. de offic. ejus cui mand. jurid. Dn. Struv. Synt. jur. civ Ex. 4. th. 40.*

IV.

Et hæc dicta de judice ex idenditate rationis etiam ſuo modo ad arbitrum & aſſeſſores accommodari poſſunt. Quibus addendum, arbitrum ob morbum habere juſtam excuſationem, ut non poſſit cogi ante reconvaleſcentiam ad ſententiam dicendam, *l. 15. ff. de recept arbitr.* ſed diem differri. *l. 16 ff. d. t. Accurſ. in l. 19. ff. de judic* Deinde, infirmitatem judicis partibus litigantibus eſſe l[illegible]mum impedimentum, ſub cujus prætextu appellatio poſt [illegible]um terminum non poteſt haberi pro deſerta, uti ex *Nov. 119. c. 4.* colligit *Oldr. conſ. 208. n. 7. jung. Specul. tit. de appellat. §. nunc breviter. verſ. quid ergo.* Sed num ſufficiat,

appel-

appellantem ſolum fuiſſe hoc modo impeditum, an verò requiratur proteſtatio de deſertione, quæſtionis eſt? Et quoniam in iis omnibus, in quibus tempus eſt continuum, neceſſaria eſt proteſtatio, & quidem quandoque repetita, *Alex. Conſ.* 114. *n.* 8. 9. utique nec in hoc appellationis caſu ægroti erunt excipiendi. *Zabarell. Conſ.* 128 *n.* 3. 4. Nam licet appellans ob judicis infirmitatem fortè officio ſuo ſatisfacere nequeat, id tamen non impedit, ne omiſsâ proteſtatione contra eos inſtantia currat, quâ impletâ unicum reſtitutionis remedium, legitimô tempore petendum, ipſis ſupererit. *l.* 1. *ff. ex quib. cauſ. maj. c ex tranſmiſſa. x. de præſcript. ibiq; Panorm.* Aliud autem obtinet in cæteris actibus, quibus in jure tempus continuum determinatum non eſt; ſcilicet in iis proteſtatio ab ægrotis neceſſariò non requiritur, ut notat *Ripa tr. de peſt. cap. de privil. jud cauſ. peſt. n* 25 *Myns. obſ.* 59. *cent* 3. quamvis reliqui alia cauſâ juſtâ quàm ægritudine impediti proteſtari debeant, ſi ſe excuſatos haberi velint, *l. fin. ff. de his qui per met. jud. c fin. x. de appell.* Et fatendum ſanè, quod ægrotantibus quoque ſemper utilius ſit, ſi & illi proteſtationem non intermittant, per rationes quas habet *Act. tr. de infirm. part.* 1. *cap.* 2. *n.* 4. *&* 5. *Conſ. Maſcard. de probat. concl.* 884. *n. ult.*

V.

Adverſarium ægrotus poteſt convenire etiam apud incompetentem judicem, vel eum ad Imperatorem evocare, per privilegium perſonis hujusmodi miſerabilibus conceſſum in *l. un.* C. *quand. Imp. inter pup. & vid.* Et quidē tenetur is comparere etiam poſt litis conteſtationem in alio judicio factam, ſi poſtea morbus actori ſupervenit. *Natta. Conſ.* 59. *n* 15. *Theſaur. Conſ.* 177. *n.* 6. *&* 7. Secus autem ſe res habet, ſi, dum lis conteſtatur, quis jam ægrotaverit. *l.* 30. *ff. de judic.* Ipſi contra ægrotantes ſaltim intra ipſorum provinciam conveniuntur, nec ullo Principali reſcripto aliò trahi poſſunt. *d. l. un.* Quod privilegium licet hodiè regnante Imperatoris ceſſet, *Gail. obſ.* 32. *n.* 40. tamen in territoriis ſtatuum in vigore ſuo permanſit. *Carpz. lib.* 2. *reſp tit.* 1. *reſpr.* 19. *n.* 15.

VI.

Cauſâ per actorem ægrotum in judicium deductâ, ſummariè,

312

riè, i.e. de ſimplici & plano, ſine ſcriptis, ſportulis, formali libello, & litis conteſtatione, ſuper ea cognoſcitur. *Aſin. in prax. civil* §.3. *cap*.3. *n*.33. & judex ex officio quodammodo ægrotorum cauſas tenetur defendere: *Alberic.in auth. offeratur. C.de lit. conteſt.* modo actori interſit, quatenus ipſe eſt perſona ægrotans: quô deficiente ordinariè judex procedit, modô legitimò citationem conficit, & per eam partibus jubet, ut ſtatuto tempore & loco ſe ſiſtant. Quod ſi judici conſtiterit de infirmitate rei ante citationem, erit illa ipſo jure nulla, *l* 60.*ff.de re jud*. *l*. 23.§.*fin. ff. de her. inſtit*. *l*.2.§.3.*ff. ſi quis caut. Dan. Venat. Analyſ. jur. Pontif. tit.x. de for. compet.* niſi citatus habeat procuratorem ad totam cauſam, tunc enim principalis infirmitas procuratori nihil prodeſt. Porrò ubi nuncius in viâ fortè in morbum incidit, nec citationem partibus tempore à lege determinato ante terminum inſinuavit, unius vel alterius partis abſentia non habetur pro contumacia, *Andr. Tiraq. de pœn. cauſ*. 14.*n*.1. Pariter ac ſi alteruter litigantium ſubitaneo morbo correptus comparere nequit; allegatâ enim infirmitatis exceptione contumaciæ pœnam *in l*.15. *C. de judic. c*.1. *x.de dol. & contum. in* 6*to. Ord. Cam. p*. 3. *tit*. 12. ſtatutam, effugit. *l*. 54.§. 2. *l*. 60.*ff. de re jud. Carpz.proceß. civil. Tit. IIX. art*.1.*n*. 51.*& art*. 2. *n*. 41. *Matth. Coler. p*.1. *deciſ*. 104.*n*.33. Quô tamen caſu ægrotus prudenter faciet, ſi, modo fieri poteſt, termino nondum præterlapsô judici per literas infirmitatem ſuam indicat, & abſentiam ſuam excuſat. Hôc enim factô ſi nihilominus pars adverſa in proceſſu, & judex ad dicendam ſententiam pergit, erunt omnia acta & geſta ipſo jure nulla, *Bart. in l*. 8. *n*. 4.*ff. de in integr. reſt. Weſ. conſ*.112.*n*.10. *p*.3. *Paul. de Caſtr. ad l*.60.*ff.de re jud. Venat. ad tit. X. de ſent. & rejud. p*.469. quia judex cauſam abſentiæ habuit cognitam, quam ſi ignoravit, ſententia quidem ipſo jure valet, ſed pars læſa reſtituitur in integrum ad totam cauſam, ſi à nemine fuit defenſa; ſin habuit defenſorem, ſaltim ad appellandum, ut cenſet *Bart. in d.l*.8.*n*.4.*quem ſequitur Mynſ. cent*.4.*obſ*.57.

VII.

Parit itaque infirmitas reo juſtum abſentiæ impedimentum, *cap*.2. *x. de procur.* quô detentus ne quidem ad procurato-

rem

tem mittendum tenetur, cum nemo obſtringi poſſit, ut invitus procuratorem mittat vel conſtituat, ſi quis ob juſtum impedimentum in propria perſona comparere nequeat, *c. 6. verſ. quapropter. ibiq; gl. in verb. reſponſalia. x. de dol. & contum. & gl. in c. 2. in verb. rationali cauſa. & verb. detentus. x. de procur. Mynſ. cent. IV. obſ. 58.* etiamſi judex in citatione juſſerit, ut quis vel ipſe vel per alium compareat; cum beneficiũ juris judex parti auferre non poſſit, *Nov. 119. cap. 4. l. 4. § 5. ff de re jud. c. de his. diſt. 28. Weſ. conſ. 112. n. 17. p. 3.* excepto Papa, cui ex plenitudine poteſtatis hoc facere licet. *gl. cit. loc. junct. c. bonæ. 23. x. de elect.* Cæterum hæc procedunt, ſive actor ſit qui ægrotat, ſive reus, cum hôc tamen diſcrimine, quod actor indirectè per vigorem legis compelli poſſit, ut mittat procuratorem, nimirum ſi præſcriptionem ob adverſario cœptam interrumpere vellet, quæ hôc neglectô curreret. *l. 1. in f. ibiq; Bart. ff. de diverſ. & temp. præſcr. Imol. in l. 60. ff. de re jud.* & impetranda ipſi eſſe contra completam præſcriptionem reſtitutio in integrum. *l. 1. pr. verſ. adverſ. caſu laborant. ff. ex quib. cauſ. maj. l. 38. §. 1. ff. d. t. Struv. Ex. 8. th. 76.* Aſt hæc omnia in reo ægrotante ceſſant, niſi is laboret morbo perpetuo aut diuduraturo; ſic enim poteſt cogi, ut ſaltem per procuratorem procedat, ne propter hujusmodi impedimentum jus adverſarii opprimatur aut perdatur. *l. fin. C. de proc. l. 1. l. 2. ff. de in jus voc. l. 2. ff. de vacat. mun. Specul. tit. de procur. § 2. n. 15. ibiq; Add. lit. t. gl. in d. c. 6. de dol. & contum. in 6to.* Lubet & illud h. l. notare, quod ſi alteruter partium litigantium ſponte procuratorem aſſumſiſſet, & is poſtea in morbum incidens terminum probationis, diſputationum, leuterationis, appellationis prætерlabi, aut aliud quodvis fieri paſſus eſſet, ex quo mandans damnum ſentire poſſit, id omne principali nihil præjudicet, ſed ipſius jura ubique firma & ſalva permaneant. *Oldr. conſ. 208. Farin. q. 11. n. 53. Carpz. pro civil. Tit. IIX art 2. n. 48.*

VIII.

Præterea cum ſæpius accidat, ut partes litigantes, vel quia illi jus ignorant, vel quia certi viri à magiſtratu ad poſtulandum conſtituti adſunt, vel quia locus, ubi reus eſt conveniendus nimis à domicilio actoris eſt remotus, alios eligant qui cujusque

jusque cauſam coram judice defendant; ſolent & debent judices partibus petentibus dilationem concedere, quando infirmitas advocati impedit, quo minus is clienti adſiſtat, *Ioh. Baptiſt. tr. de rect. judic. patr. rat. cap 9 n. 10.* etiamſi cauſa ſit ſummaria. Dum enim in jus vocatus neſcit ſatis obviam ire argumentis adverſarii, & jura ſua formaliter & ſcitè proponere, iniquum utique eſſet, partis jura ita labefactari. Idque eò magis, quod advocatus datur ad defendendam cauſam: ſicut autem in nulla cauſa defenſio debet amputari aut tolli, ita nec poteſt denegari audientia excipienti de carentia ſeu defectu advocati, & ob id dilationem petenti. *Card. Tuſch. pract concl. 231. n. 2. lit. A. Vol. 1.* Trahenda tamen huc quoque erit limitatio in §. *praeced.* allata, ut dilatio non concedatur, quoties infirmitas non per modicum ſaltem tempus duratura ſit. *arg. l. 18. pr. ibiq. Dd. ff de jud.* Item, quoties quis plures habet advocatos, & fortè unus illorum ægrotet; *Angel. in l 44. ff de jud.* nec non, ſi pars litigans facilè alium ejusdem qualitatis patronum inveniri, & ille ſtatum cauſæ per tempus ad terminum reſiduum explorare poſſit. *Carpz. proceſſ civil. Tit. IIX art 2. n. 48* Quod ſi advocatus in eô locô habitet, ubi cauſa eſt tractanda, nec ejus debilitas corporis tanta ſit, quæ domi expedienda expedire impediat, uſu fori obtinet, ut, ſi deſideratur, acta ex judicio ad ipſius domum mittantur, quò ibi clientis ſui cauſam defendere poſſit. Et hoc etiam in foro Sax. obſervatur, ubi aliàs non admittitur, ut litigatores jura ſua mutuis ſcriptis domi exaratis proponant, ſed debent ſtatim in loco judicii ea, quæ ad defenſionem inſerviunt, oretenus proponere, & in calamum dictare. *Conſt. Elect. 1. p. 1. ibiq. Möl. n. 1.* Churfl. S. Appell. Ordn. *tit.* von Rechtl. einbring. *in pr. Berl. p. 1 concl. 13. Arum. lib. 2 deciſ. 11.* Licet autem advocatus cauſam clientis ſui nullo modo ob violentiam morbi agere poſſit, ita ut is cogeretur alium patrocinantem quærere, nihilominus ſalarium ſuum plenè accipit, nec acceptum tenetur reſtituere, *vid. ſupr. cap. 2. §. 9.* poſſuntque heredes ejus, ſi ipſe ante finitum annum decedit, nondum ſolutum ſalarium exigere. *l. 1. §. 13 ff. de var. & extr. cogn. l. 15. C. de advoc. diverſ. jud.* Nam infirmitas refertur inter caſus fortuitos, *arg. l. 2. §. 2. ff. de adminiſt.*

rer. ad

rer. ad civit. l. 6. C. de pign. act. unde quamvis illa impediat adimplere ſuum officium, non tamen facit, ut quis ſalario privari ac defraudari poſſit. *arg. l. 1. ff. de var. & extr. cogn. Specul. §. poſtquam. verſ. quid ſi mercen. tit. de loc. cond. & in §. ſequitur. verſ. quid ſi advocat. tit. de Advocat. ſalar. Salic. in l. licet. C. de locat.* Hæc tamen aſſertio varias patitur reſtrictiones, quæ videri poſſunt apud *Capell. Tholoſ. dec. 269. & 360. Ioh. Baptiſt. d. tr. cap. 9. n. 5. usq. n. 9.*

IX.

Partes litigantes ad fundandam ipſorum intentionem & exceptiones probandas ſæpius utuntur teſtibus, tanquam modo probationis efficaciſſimo, quô fides eorum ad alicujus rei dubiæ confirmationem invocatur. *c. illud. x. de præſcr.* Teſtes enim adhibentur ad veritatem eruendam, *c. 1. x. de teſtib. cog.* ne cuiquam jus ſuum intervertatur. Et quia propterea publicæ utilitatis intereſt, facit illa teſtimonii dictionem quodammodo juris publici, *l. 22. ff. de teſt. c. fin. x. de teſt. cog.* ut ad teſtimonium perhibendum etiam inviti pœnalibus mandatis vel captis pignoribus cogi poſſint, *arg. rubr. x. de teſt. cog. l. 3. § 9 ff. de tabul. exhib. l. 2. ff. de teſt. Specul. tit. de teſt. §. pen. per tot.* niſi quodam excuſationis privilegio ſint muniti. Inter quos nonnulli etiam numerare volunt valetudinarios, quibus dum ſe excuſarent, ad teſtimonium dicendum vocati non incumberet neceſſitas comparendi; *l. 8. ff. de teſt. Weſenb. in tit. de teſtib. n. 3.* niſi defectus ſit aliorum teſtium, qui de re controverſa parem haberent notitiam. *c. 2. c. 5. x. de teſt. cog. Specul. cit. loc. & ibi Add. lit. d.* Deficiente enim probatione multi admittuntur & coguntur, qui alias non cogerentur nec admitterentur, *c. quoties. c. 23. x. de teſt.* quia judex nihil intermittere debet, quibus veritas elici poſſit, *c. quisquis. 11. q. 3.* nec pati, ut ullius privilegii prætextu illa ſupprimatur. *c. 1. ibiq. Panorm. x. de teſt. cog.* Et hæc opinio quamvis non planè videtur rejicienda, communiter tamen Dd. ſentiunt, valetudinarios teſtimonii dictionem etiam citra ſummum neceſſitatis caſum evitare non poſſe, cum illis ſaltem beneficium de non comparendo in loco judicii *in d. l. 8. ff. de teſt.* conceſſum ſit; nullibi verò remiſſa ipſius juramenti & teſtimonii depoſitio in

L pro-

314

propriis ædibus præſente judice vel aliis viris fide dignis & à judice miſſis, præſtanda, *l.15. ff. de jurejur. l.2.§. 1. C. de epiſc. & cler. Nov. 124. cap.* 1. quod utrumque regulariter quidem in ipſo judicii loco expediundum fuiſſet. Et hanc ſententiam rationibus defendit *Donell. ad l. 19. n.11. C. de teſt.* quam etiam tenet *Azo in ſumm. rubr.* C. *de teſt. n. 3. Farin. de oppoſ. contr. exam. teſt. q.78. cap. 2. n. 64. Foller. in pr. crimin. in verb. capiat informationem. n.40. Col. 2. in f. Bach. ad Weſ. tit. de teſt. n 3.* Eandem opinionem expreſsè approbat jus Pontificium, *in c. teſtes. §. inviti. IV. q.3. ibiq. gl. verb. ſenes. c.8. x. de teſt. ibiq. Felin. n. 1.* Cujus ſumtibus verò miſſio judicis vel alterius perſonæ in domum ægroti fieri debeat, tradit *poſt Specul. lib.2 p.2. tit. de jur. calumn. §. reſtat. n. 18. etiam Berl. p. 1. concl.34.n.15.*

X.

Hi valetudinarii etiam ante litis conteſtationem validè teſtimonium dicunt, ſi fortè ipſorum obitus timetur; *l. fin.* C. *de teſt.* contra vulgatam juris regulam, quæ non niſi poſt litem conteſtatam teſtes examinari admittit, *c. 5. ibiq. Hoſt. n. 1. 2. x. ut lit. non conteſt. c.41. ibiq. Mynſ. n. 1. x. de teſt. Mich. Craſſ. Comm. opin. lib.2. cap. 17. q. 28. pr. Ord. proc. jud. tit. 27 pr. verſ.* **Als wann die Zeugen ꝛc.** ſecus, facit ea teſtimonium ipſo jure nullum, *Ioh. Andr. in d. c. 41. n. 9. x. de teſt.* ut nec partium conſenſu convalidetur, ſi non fiat in caſibus à jure ſpecialiter exceptis. *Hoſt. ad d. c. 41. n. 1.* Cum enim multis modis noſtrâs intereſſe poſſit, ne pereat nobis noſtriſve ſucceſſoribus rerum geſtarum memoria, & ne probationis facultas deficiat, æquitati congruit, quandoque contra communem juris regulam teſtes ante litem conteſtatam recipere & examinare, ſcilicet quoties timetur, ne veritas ſupprimatur, aut copia probationis ſubtrahatur. Vocatur hoc teſtimonium pro diverſitate circumſtantiarum cauſæ modo teſtimonium ante litem conteſtatam, modo ad perpetuam rei memoriam, quæ curatè loquendo inter ſe differunt, & perperam à quibusdam confunduntur, *ut notat gl. in d. c. 5 §. pen. verb. publicatio. Mynſ. in cap. 41. n. 3. x. de teſt. & Id. cent. 4. obſ. 71.* Plura hac de re proferre nunc non licet; pergo itaque ad alia.

CAP.

CAP. VII.

De probatione morbi, & ejus ſimulationis pœna.

I.

QVoniam infirmum eſſe, facti eſt, *Bart. in l. 60. ff. de re jud.* & ſanitas magis præſumitur, *arg. l. 6. C. de re mil. l. 16 C. de prob. Maſc. de prob. concl.* 1289. *Vol.* 3. nemo infirmitatis privilegiis frui poterit, antequam morbum aut ægritudinem ſuam, vel quandoque alterius, ſatis probaverit, & quidem in tali gradu eam fuiſſe, prout deſiderat negotii qualitas, ita ut morbus cauſa immediata ſit, cur actus improbatur, vel expediri non potuit. *Panorm. in c. 1. x. de cler. ægrot. Dec reſp. 90. n. 2. Vol. 2.* Ad hoc enim, ut impedimentum excuſet, duo debent probari; ſcilicet impedimentum ipſum, & quod impeditus fecit, quantum potuit, ad iſtud tollendum. *Bart. in l. 14. ff. de re mil. Alex. Conſ. 49 Col. 2. lib. 2. Boër. deciſ. 40. n 4. Afflict. deciſ. 29. n. 2.*

II.

Inter media hæc probandi jure civili prodita reperiuntur teſtes. Sic namque per medicum ejusve atteſtatum optimè probatur ægritudo. *Bart. in l. 53 §. 2. l. 60. n. 6. ff. de re jud per l. 6. C. de re milit lib. XII.* Nec impedit, ſi medicus Doctorali dignitate non eſt ornatus, *Bart. in l. 19. ff. de ædil. edict. Alex. Conſ. 15. col. ult. n. 11. lib. 1.* Ut proinde etiam admittantur ad teſtimonium chirurgi & tonſores, *Clar. in §. homicidium n. 43. Maſc. concl. 1037. n. 11.* aliive, qui infirmitatem hominis ſciunt ſuæque ſcientiæ poſſunt reddere juſtam rationem, v. g. quia viderunt ægrotantem. Nec in caſu neceſſitatis teſtimonium, quod fit per domeſticas perſonas, improbatur. *arg. l. 8. C. de repud. l. 5. C. de naufr. Lib. XI. Maſc. de prob. concl. 896. n. 15. Vol. II.* Præterea fidem infirmitati facit aſpectus corporis, *arg. l. 32. pr. ff. de min. Bart. in l. 60. ff. de re jud.* Vel denique ipſius infirmi aſſertio juramento firmata. *arg. l. 13. §. 1. ff. de excuſ. tut. Hippol. de Marſi l. in rubr. n. 244. C. de prob.* Dum

enim cauſa hæc ſummaria eſt, utique per juramentum illa decidi poterit: *arg. l. 15. ff. ad exhib. Carpz. proc. civil. tit. IIX. art. 2. n. 55.* modo perſona jurans non ſit ſuſpectæ fidei, tunc enim nec ad jurandum admittitur, nec juramento ejus ulla fides tribuitur. *arg. l. 5. §. 6. ff. de re milit. Bald. in l. 3. n. 7. C. de procur. Mynſ. cent. 4. obſ. 57. in f.* Specialia olim circa infirmitatis probationem introduxit jus Sax. in Landr. *lib. 1 art. 52. n. 7. Gl. ord. n. 6. ſeq. & Weichb. art. 20. n. 29. ſeqq.* Sed quoniam illa contraria conſuetudine antiquata ſunt, *Rauchb. p. 1. differ. 2.* non eſt ut in illis recenſendis multum imorer. Satius autem erit videre de pœna eorum, qui morbum ſimulant.

III.

Is itaque qui in probatione ſuæ infirmitatis, quam prætendit, defecit, ſeque ægrotum falsò aſſeruit, poteſt tanquam falſarius à judicè ob id arbitrariè puniri, *Ripa, tr de peſt. tit. de remed. præſerv. n. 174.* & nonnunquam pro ratione circumſtantiarum ejus pœna ad fuſtigationem, aut vitæ privationem extendi. *arg. l. 6. §. 4. ff. de re mil. l 2. C. ad L. Corn de falſ. Ord. Crim. art. 112. & 113. vid. in terminis Iodoc. Dambaud. in pr. Crim cap. 110. n. 55. & ſeq. Matth. Coler. deciſ. 179. n. 3. Schultz. Synopſ. Inſt. tit. de jud. publ. lit. u. p. 729. Carpz. pr. Cr. p. 2. q. 93. n. 55. & ſeqq.* De quô, ut eò certius conſtare poſſit, non malè conſulunt illi, qui in tali caſu medicum adhibendum eſſe cenſent, qui utrum verus, an verò ſimulatus morbus ſit, indagit. Et hic in tali caſu feliciter procedere poterit, ſi obſervat ea, quæ tradit *Roderic. de Caſtr. tr. de Medic. pol. lib. 4. cap. 4.* Quod ſi morbus ſemel fuerit probatus, ſemper durare præſumitur, pari modo ſicut is, qui ſemel alicujus rei dominium vel poſſeſſionem eſt adeptus, ſemper illius rei dominus aut poſſeſſor præſumitur. *L. 16. ibiq. Bart. C. de prob.* Nam ea quæ non mutantur ſolo temporis curſu, non præſumuntur mutata, ſi unquam illa extitiſſe conſtat. *Maſc. de prob. concl. 896. Vol. II.* Idque eò magis in infirmitate procedit, quòd illa in dubio habetur pro longo impedimento. *arg. l. 18. pr. ff. de jud. Dec. in c. 21. n. 45. x. de offic jud. deleg.* Nec ſequitur in eô jus noſtrum medicorum doctrinam, dum ex Gomez. ſententiâ *ad regul. cancell. reg. de infirmit.*

reſign.

reſign. q. 9. n. 5. illi ſtatuunt, morbos peracutos hominem in decimo quarto die extinguere. Contraria itaque probatione ab adverſario hæc præſumtio diluenda erit. *Alex. in l. 9. Col. 2. pr. n. 3. C. qui teſt. fac. poſſ.*

IV.

Probatô infirmitatis impedimentô contra quemlibet non æquè aut magis privilegiatum, *arg. l. fin. ff. ex quib. cauſ. maj. l. 12. §. & ideo C. qui pot. in pign. Theſaur. deciſ. 177. n. 9.* poteſt infirmitatis exceptione ſe defendere non ſolum ipſe ægrotus, *l. 2. §. 3. ff. ſi quis caut. l. 60. ff. de re jud. l. un. C. quand Imp. int. pupil.* Sed etiam præter eum aliæ quædam perſonæ ejusdem beneficiis frui poſſunt, quales ſunt (1.) hæ, quæ ægrotanti propinqua cognatione ſunt conjunctæ, parentum ſcilicet, liberorum, fratrum, ſororum &c. reſpectum habentes. Maximè enim inhumanum & pietati contrarium eſſet, debiles hujusmodi perſonas derelinquere, & interea alia negotia expedire. *arg. l. 36. ibiq. Dd. ff. de jud junct. diſt. 23. c. 10* Et hoc approbat etiam uſus fori, teſte *Ioh. Zanger. proceſſ cap. 9. n. 23. Carpz. proc. civil. Tit. IIX. art. 2. n 45. & ſeqq. & Iuriſpr. forenſ. p 1. conſt. 9 def. 8 n 3. & 4.* (2.) Hoc Dd. etiam extendunt ad eas, quarum miniſterio & ſervitio durante morbo ægrotantes carere non poſſunt. *arg. l 33. ff ex quib. cauſ maj. Menocb. arbitr. caſ. 336. n. 10* Quò etiam medici debent referri, *l fin. ff. de jur. immunit. Bald. in l. 41 ff. de excuſ. tut.* nec non ægrotorum cuſtodes. Nam non medicô tantùm, ſed etiam diligente cuſtode infirmum proſpicere oportet, ſi morbi qualitas id expoſcit. Et horum officium erit prohibere, ne ægroti appetitui ſuo indulgentes edant bibantve nocitura, neque aliis aut ſibet ipſis damnum inferant. Proindè ſi cuſtos mercede ad id conductus eſt, tenetur etiam de leviſſima culpa, *l. 40. ff. locat.* & poteſt pro ratione circumſtantiarum puniri, ſi ægrotus ſua culpa perierit. *arg l. 9 ff. ad L. Aquil. Tiraq. tr de nobil cap. 31. n. 397.* (3.) Pertinent etiam quodammodo infirmorum privilegia ad illorum ſocios, ſi hi ab illis abeſſe nequeunt. *Bald. in l. 38. §. 1 ff. ex quib. cauſ. maj.* (4.) Tandem hùc quoque referunt familiares ægrotorum, *Menocb. cit. loc.*

Dec. ad l. 68. n. 8. ff. de R. I. quod quouſque procedat, docet *Abb. in c. 10. n. 1. x. de juda. & in c. licet, n. 6. x. de privil. in 6to.*

CAP. VIII.

De cura, ejusque neceſſitate.

I.

CUm ægroti curam nunquam debeant negligere, licet morbus videatur longè periculoſiſſimus, ſed media à Deo pro recuperanda ſanitate ſuppeditata quærere, *II. Paralip. cap. 16. Syrac. cap. 38. verſ. 9.* non à propoſito meo alienum fore exiſtimavi, ſi hactenus de morbi & ægrotorum jure pertractatis nunc quædam de curâ ſubjicerem. Tanta autem curæ eſt neceſſitas, ut ægrotus illam recuſans mortaliter peccet. *Corrad. in reſp. caſ. conſc. queſt. 201. inſ.* Quapropter etiam illi, ſub quorum poteſtate infirmi vivunt, vel qui beneficia ab ægrotantibus acceperunt, obſtricti ſunt renuentes ad medicamenta utenda perſuadere, & omnibus modis de cura aliisque morbo durante neceſſariis proſpicere. Humanum enim eſt infirmis ſubvenire. *Bald. in l. 38. ff. ex quib. cauſ. maj.* ne videamur mortem ægrotantibus infligere qui dum poſſumus, illum non impedimus. *pr. diſt. 83. l. 91. pr. ff. de V. O.* Quæ cauſa, cur militum ægrotantium cura Tribuno vel Præfecto exercitus, *l. 12. §. 2. ff. de re mil.* ſervorum, domino; liberorum parentibus in legibus tam ſanctè demandata & injuncta ſit. Nam ſi dominus ſervum in infirmitate deſerit, is reconvaleſcens ipſo jure ad libertatem pervenit, *l. 2. ff. de his qui ſin. manumiſſ. l. 4. §. 5. C. de bon. libert. l. un. §. 4. C. de latin. lib. toll. Nov. 22. cap. 12.* Patronus liberto debili curam denegando patronatus & ſucceſſionis jure privatur. *l. 6. pr. ff. de alend. liber.* Sed & filius à jure patriæ poteſtatis liberatur, quando pater ei ægrotanti medicum adhibere vel neglexit, vel planè detrectavit. *Canan. Suaretz. in theſaur. recept. ſentent. verb. alimenta. n. 163. Tiraq. tr. de retract. §. 1. gl. 16. n. 2. ibiq. alleg. arg. l. 4. l. 5. §. 10. ff. de agnoſc. & alend. liber. l. fin. C. de alend. liber. c. 7. diſt. 1. c. 14. diſt. 30. junct. l. 6. ff. de alim. leg.*

Menoch.

Menoch. de praeſ. p. 2. l. 5. praeſ. 157. n. 30. Id quod licet *Bart. in l. 6. ff. de alim. leg.* reſtringere conetur ad curam, quæ modicas expenſas exigit, *per l. 43. ff. de V. S.* tamen contrarium potius ex illa lege pateſcit, & prior opinio ut eſt communior, ita quoque verior. *Clem. Amer. tr. de patr. poteſt. effect. XVII. n. 38. circ. fin.* Aliud eſt, ſi fortè ob inopiam parentes liberos ne quidem alere poſſunt, tunc enim utique à ſubminiſtratione ſumtuum in curam illorum impendendorum excuſandi erunt. *arg. l 5 §. 7. ff. de agnoſc. & alend liber. Bart. in l. 18. §. 1. ff. de alim. & cib. leg. Alex Conſ. 72. Col 4. Vol. 5. Dec. conſ. 616. n. 4.* ubi aliam quoque limitationem tradit.

II.

Porrò ex rationis identitate ſervus domino, libertus patrono, *l. 6. §. 1. ff. de agnoſc. & alend lib.* liberi parentibus *l. 5. §. 4. & 7 ff. d. t.* ſumtus ad curam ſuppeditare debent, niſi libertus in ſervitutem tanquam ingratus revocari velit. *d. l. 6. §. 1.* Ex quô Dd. colligunt, donatorem omnium bonorum poſſe ex hâc cauſa donationem revocare, ſicut etiam dominus feudum à vaſallo. *arg. d. l. 6. §. 1. c. prima verſ. prædict. II. F 24.* Præterea maritus dotem amittit, ſi contingat, maritalem ejus amorem erga uxorem adeò eſſe exiguam, ut eam curæ ſubtrahat, dum fortè corpore ejus mortuo magis quàm vivô delectatur. *l 10. §. 1. ff. ſol. matr. l. 31. §. 11. & §. 12. ff. de ædil. edict. l. 4. ff. de agnoſc & alend. liber.* Denique ob eandem cauſam heres & legatarius privatione hereditatis & legati puniuntur, *l. 3. ff. de his quæ ut indign.* quod nonſolum de herede teſtamentario eſt intelligendum, ut putat *Socin. Sen. Conſ. 105. n. 8.* ſed etiam de eô, qui abinteſtato in hereditate ſuccedit. *arg. d. l. 3 Rauchb. lib 2. q. 20.* Et hæc omnia ita ſe habent, licet culpa lata aut levi ejus, qui mortem alicujus impedire debuiſſet, quis interierit, ut ſi adhibuit quidem medicum ſed imperitum. Paria enim ſunt, planè nullum aut imperitum adhibuiſſe. *d. l. 13. §. 12. ff. de ædil. edict. ibiq; gl. verb. latam. & verb. adhibuerit. l. 91. pr. ff. de V. O. l. 10. § 1. ibique gl. verb. lucrifacere. ff. ſol. matr. Natta. Conſ. 462. in pr. Maſc. de prob. concl. 1038. n. 1. ſeqq. Vol. 11.*

III. Ac

III.

Aſſumamus itaque medicum exploratum & probatum, *Plin. lib. 3. de republ.* non fortè rudi plebis vanâ opinione, ſed à Decurionum ordine & Profeſſoribus civitatis, quibus competit in artis peritiam morumque probitatem inquirere, antequam illi intra præfinitum numerum quendam aſſumant. *l. 1. ff. de decret. in ord. fac. l. 5. l. 6. C. de profeß. & medic.* Scilicet cum antiquis temporibus priusquam hominum ſcrupuloſitas ad penetralia hujus artis perveniebat, cuique medicum ſe profitenti artem medicam ſine periculô, ſine inſcitiæ pœna exercere fas eſſet, *Plin. lib. 29. hiſt. natur. cap. 1.* totamque hanc artem in nuda experientia poſitam eſſe homines crederent; non rarò eveniebat, ut imperiti, iſti medici diſcerent periculis hominum, & experimenta per morbos agerent. *Plin. cit. loc.* Poſtquam verò temporis progreſſu magis magisque ſolidiora medicinæ fundamenta apparerent, certus medicorum ordo fuit conſtitutus, isque primò à Julio Cæſare jure civitatis, *Suet. in Iul. Cæſ. cap. 42.* (cum antea plerique medicorum ſervilis eſſent conditionis, *l. 1. §. 5. C. comm. ſerv. manumiß. l. 3. pr. C. comm. de legat. l. 26. ff. de oper. libert. l. 41. §. 6. ff. de fideic. l. 9. ff. ad L. Aquil. Varro. 1. de re ruſt. cap. 16. Senec. lib. 3. de benefic. cap. 24. Quintil. lib. 7. cap. 2. Bach. ad Tr. Diſp. 6. th. 7. lit. C. Vol. 1.*) deinde ab Auguſto Imperatore, quòd à Muſa liberto ſuo ex periculoſo morbo reſtitutus eſſet, immunitatis jure donatus fuit; *Dion. Hiſt. lib. 53.* quod ipſum à D. Veſpaſiano & Hadriano Impp. quoque confirmatum eſt *in l. 18. §. ult. ff. de mun. & hon.* Sed quoniam, ut plerumque evenire ſolet, magnum illud privilegium in abuſum trahi cœperat, dum ſub ejus prætextu quilibet ferè munera effugere tentabat; placuit hiſce malis mederi, certumque numerum *vid. l. 6. §. 2. ff. de excuſ. tut. l. 18. C. de epiſc. & cler.* Decurionibus in quacunque civitate definiendam relinquere. Hi propriè medicorum nomine veniebant, dicebanturque abſolutè numerarii, ad differentiam aliorum qui ſupernumerarii appellabantur. *l. 6. §. 2. ff. de excuſ. tut. Cuj. par. Cod. tit. de advoc. diverſ. jud.* & ad quos privilegia medicorum non pertinebant. *l. 1. ff. de decret. in ord. fac. l. 7. ff. de excuſ. tut.* Sed & poſtea conſtitutio-

ſtitutione Diocletiani & Maximiliani Impp. effectum eſt, ut ne quidem numerarii medici immunitatibus gauderent, niſi ſpeciali Decurionum decreto immunitas ipſis tributa eſſet. *l. 5. C. de prof. & medic.*

IV.

Medicis illis à Decurionibus & Profeſſoribus electis commodè hodiè æquiparari poſſunt ii, qui à magiſtratu in qualibet benè conſtituta republ. datô publico ſalario ordinantur, ut curam ægrotorum gerant, & communi nomine Medici, vel Phyſici civitatum, appellantur. Sed & poſtquam noſtris temporibus dignitas Doctoralis (quæ ſub Lothario Auguſto Sax. orta, *Coraſ. ad l. 2. §. 48. n. 9. ff. de O. I.* & primò JCtorum propria, *Vulte j. ad § 9. n 17. Inſt. de I. N. G. & C.*) ad Medicinæ quoque facultatem derivari cœpit, *Berl. p. 1. concl. pract. 55. n 94. Matth. Steph. de jurid. part. 2. cap. 14. n. 47.* quilibet hiſce & majoribus utitur privilegiis, qui perfectam medicinæ cognitionem habens, *d. l. 1. ff. de decret. in ord. fac. gl. in c. 2. Clem. de magiſtr. & ne aliq. exigat.* à Profeſſoribus Academiarum, quibus creandi Doctores ſpecialiter ab Imperatore eſt conceſſum, *Peregrin. de jur. fiſc. lib. 1. tit. 1. n. 7. Sixtin. de regal. lib. 1. cap. 2. n. 27. Boër. de regal. cap. 2. n. 246.* legitimè examinatus, communi Facultatis ſuffragio, ob doctrinæ & vitæ excellentiam approbatus, *l. 7. C. de prof. & medic.* & publicè renunciatus ac promotus eſt, *Alex. in l. 15. n. 10. 20. & 21. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. Guid. Papa deciſ. 68. n. 3.* adhibitis ſolennitatibus, quas recenſet *Guid Papa deciſ. 38. n. 11. Coler. proceſſ. execut. p. 2. cap. 3. n. 135.* Nec aliud dicendum eſſe puto de illis, qui à Comitibus Palatinis creantur, ſi in præſentia duorum vel trium Doctorum hujus Facultatis examinati, & idonei inventi fuerint. *Treutl. Diſp. 1. th. 7. lit. a. Vol. 1. ibiq; Hunn. q. 4. Arum. Diſc. ad A. B. cap. 5.* nam aliter Cæſarea majeſtas Comitibus Palatinis poteſtatem creandi Doctores nunquam conceſſit. *Benn. de privil. ICtor. p. 2. cap. 1.* Hùc pertinent & illi, quos Princeps ad curam corporis ſui eligit, qui Archiatri nominantur *in l. ult. C. de profeſſ & med. junct. l. 9. l. 10. C. d. t. Guid. Pap. Deciſ. 387. n. 388.* Hi enim licet publicè promoti non ſint, Doctoribus medicinæ tamen æquiparantur,

318

rantur, ſicut Conſiliarii Doctoribus juris, inter quos & medicos in jure ſæpè eadem fit diſpoſitio.

V.

Officium Medicorum conſiſtit in eô, ut curam ſuſcipiant ægrotorum, qui ipſorum auxilium implorant, *c. nullus. 28. q. 1.* ſine ulla perſonarum differentia. *Roder. de Caſtr. d. tr. Medic. polit. lib. 3. cap. 15. Paul. Zacb. quaſt. med. legal. lib. 6. Tit. I. q. 6. n. 9.* Nam mortem languentibus infligere videtur, qui, cum poſſit, eam non excludit. *arg. pr. diſt. 83. c. paſce. diſt. 86.* Et hoc facit, ut medici etiam inviti ad medendum cogi poſſint officio judicis, *Ripa d. tr. cap. de remed. ad cur. peſt. n. 89.* præſertim cum illorum officium ſit munus publicum, quod quilibet ſubire cogitur, niſi juſtam ejus habeat excuſationis cauſam. *l. 1. ff. de vac. & excuſ. mun.* Qualis non eſt graſſatio peſtis, aut alius morbi periculoſi: non enim conceditur medicis à locis infectis recedere, ſi publicè ſalarium accipiunt. *Benz. tr. de fug. propr. peſt. q. 1. lib. 1. concl. 6. P. Zacb. d. l. lib. 6. Tit. 1. q. 6. n. 4 Beſold. tr. de vit. & mort. lib. 2. cap. 2. n. 3.* Illud quoque hoc loco erit monendum, quod medicus, qui ægroto petenti medicamenta denegavit, poſſit recuperata ſanitate ad intereſſe ab eô conveniri, ut præſtet ipſi quanto interſit, ſe ob ejus deſertionem in mortis periculum non fuiſſe conſtitutum. *arg. l. 26. §. 1. ff. de oper. libert. Alex. conſ. 178. n. 7. lib. 6.*

VI.

Curâ ſuſceptâ, & morbô benè cognitô, *P. Zacb. d. l. lib. 6. Tit. 1. q. 11. n. 1.* debet medicus medicamenta ægroto porrigere, *Innoc. in c. 19. n. 3. x. de homic.* hic verò illa libenter accipere, & in omnibus honeſtati non contrariis medici conſilia ſequi. *Felin. & Innoc. in d. c. 19. Roder. de Caſtr. d. tr. lib. 3. cap. 12.* Ubi quæritur: An medicus ægroto amplexum venereum aut pollutionem ſuadere, isque hujusmodi remedia citra peccatum acceptare poſſit? quod negatur, quia illa planè ſunt illicita & inhoneſta, *per c. 13. x. de pœnit. & remiſſ. Viv. deciſ. 323. n. 18. lib. 2.* ſi non fiunt inter conjuges, *vid. D. Thom. 2. 2. q. 153.* quibus non videtur eſſe prohibitum tali remedio uti, *P. Zacb. d. l. q. 5. n. 5.* quicquid in contrarium diſputet *Brunell. tr. de ſponſ. & matr.*

matr. concl. 8. *n.* 12. Ut benè indè liceat inferre, medicum poſſe ob morbum virgini diſſuadere virginitatem, non quod illicito modo corporis ſui copiam faciat, ſed quod illa conjugalem ſtatum eligat. *Tiraq. de leg. connub.* 15. *gl.* 1. *n* 73. *Roder. de Caſtr. tr. de natur. mulier. cap.* 3. *lib.* 1. Eſt namque matrimonium de rebus maximè licitis, quod Deum ipſum autorem agnoſcit, multaque bona in ſe continet, *de quibus vid. D. Auguſt. in lib. de bon. conjug.*

VII.

Sed medicamenta ſuperſtitioſa, quæ manifeſtam & naturalem ſanitatis efficaciam habere nequeunt, neque à medicô præſcribantur, neque ab ægroto appetantur aut acceptentur. *l.* 1. §.3. *ff. de var. & extr. cogn. Paul. Grilland. tr. de ſortileg. q.*6.*n.*22. Sunt enim hujusmodi media expreſsè à Deo in S. Scriptura improbata, *Deuter.* 18. *Eſa. c.* 47. *II Paralip.* 33. quia plerumque ſaltem tacitum pactum cum Diabolo intervenire ſolet. *c. illud. pr.* 26. *q.* 2. Ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque diſciplina condemnat, ſive in præcantationibus, ſive in ſententiis, Evangelio S. Johannis, imaginibus, notis quas characteres vocant, ſive in quibusdam rebus aliis, certo tempore abſciſſis vel collectis, *c. non liceat.* 26. *q.* 5. ſuſpendendis vel ligandis. *c. nec mirum.* §. *adhuc.* 26. *q.* 5. Cujusmodi remedia, ne adhibeantur, jubentur ſacerdotes admonere fideles populos, ut noverint, magicas artes incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil remedii poſſe conferre, ſed eſſe laqueos & inſidias antiqui hoſtis, quibus ille genus humanũ decipere nititur. *c. admoneant*, 26 *q.*7. Pœna quoq; jure canonum ſtatuta, ubi cavetur, ut, ſi illa exerceat epiſcopus, ab honore dignitatis ſuſpenſus monaſterii curam ſuſcipiat, ibique pœnitentiæ perpetuæ deditus ſcelus perpetratum ſolvat. *c. ſi quis.* 26. *q.* 5. Clericus quoque propterea degradetur, laicus verò anathematicetur & excommunicetur. *d. can. admoneant.* 26. *q.* 7. *c. aliquanti. c. ſi quis clericus. c. auguriis.* 26. *q.* 5. Quod ſi quis hujusmodi homines conſulere, vel in domum ſuam deducere audeat, exquirendi aliquid arte malefica, expiandi cauſa ſub regula quinquennii jaceat, & pœnitentiam agat, ſecundum

319

gradus pœnitentiæ denſitos. *c. 1 c. 3. & c. 6. XXVI. q. 5. Proſper. Farin. prax. crim. lib. 1. T. 3. q 20. n. 94. usq. 102.* Jure civili videntur ſortilegia aliquatenus permiſſa, qui exercentur ad bonum finem, ut puta ad ſanandum ægrotos maleficiatos, ad ſolvendum aliorum ſortilegorum facturas, ad incantandum imbres, ne noceant ſegetibus, arboribus, & animalibus. *l. 4. §. 1. ibiq. Bart. C. de malef. & math.* Sed quia eccleſia à talibus remediis ſummoperè abhorret, & ejus legis diſpoſitio paganiſmum ſapit, *Peretz. C. d. t. n. 4.* etiamſi *in d. l. 4.* tradita fiant ad effectum bonum; *Thom. 2. 2. q. 96. art. 2. Nov. Leon. 65.* meritò canones illa reprobant, quòd nihil poſſit eſſe bonum aut purum, quod ex pactione cum dæmone aut ejus arte oritur. Hinc etiam jure Carolino, & uſu fori, ii, qui hiſce remediis prohibitis ac ſuperſtitioſis utuntur, extraordinaria pœna, puta carcere, relegatione, aut nonnunquam fuſtigatione, plectuntur. *Conſt. Crim. art. 109. Berl p. 4. concl. 5. n. 71. Coler. p. 1. deciſ. 180. n. 180.* In eos verò qui clarâ vel ſubmiſſâ voce diabolū invocantes hominibus auxilium ferre conantur, pœna capitis decernitur. *Berl. d. l n. 71.* Cum quo conſentit conſtitutio *Sereniſſimi Elect. Sax. p. 4. c. 2. ibiq. Carpz. def. 7. & Id. pr. Cr. p. 1. q. 50. n. 48.*

VIII.

Finis curæ eſt ſanitas, *arg. l. 1. § 1. ff. de var. & extr. cogn. l. 1. ff. de decr. in ord. fac. l. 28. pr. C. de teſt. c. 19. x. de homic. Tiraq. tr. de nobil. cap. 31. n. 391.* illud divinum, longeque blandiſſimum vitæ condimentum, *Plat. lib. 1. de leg. & lib. 6. de republ.* & decor iſte omnis felicitatis. Ut propterea multum extollendi & magnifaciendi ſint Medici, qui ſanitatem amiſſam ægrotis reſtituere, & reſtitutam conſervare norunt, boni ducis exemplo, qui in bello non aliud quàm pacem quærit; in pace autem cavet diligenter, ne quid moveatur, quô pax amitti poſſit, ut inquit *Roder. de Caſtr. d. tr. lib. 1. cap. 10.* Illorum verò fraudes, qui avaritiâ ducti morbum in longum tempus protrahunt, & hominum ægrotorum facultates emungunt, meritò judicis arbitrio coërcendæ ſunt, *l. 3. ibi. incivile factum. ff. de var. & extr. cogn.* ut pecuniam ita extortam reſtituant, *d. l. 3.* cum

omni

omni damno ac intereſſe. *l.* 8. *l.* 9. §. 1. *ff. ad L. Aquil. Rip. d. tr. cap. de remed. ad cur. peſt. n.* 81. *Specul. rubr. de Magiſtr. n.* 3.

IX.

Sub conditione recuperandæ ſanitatis alteri promiſſum debet ſanitate ſecuta ſervari, *arg.* §. 4. *Inſt. de V. O. l.* 41. *ff. de cond. & demonſtr. l.* 58. *l.* 68. *ff. eod.* & poteſt promittens vel actione certi, vel ex ſtipulatu conveniri. *l.* 74. *l.* 75. *ff. de V. O.* Actiones haſce ſtipulator efficaciter in judicium prius deducere nequit, donec planè promittenti reſtituta ſit ſanitas. *l.* 43. §. 9. *ff. de Aedil. edict. l.* 4. §. 2. *ff. de pact.* Paria enim ſunt planè non, aut non perfectè reconvaleſcere; ſicut paria ſunt, in judicio comparere quidem, ſed non inſtructè comparere. *l.* 1. *ff. de procur. l. licet. C. eod.* Adeoque nec pro parte recuperatæ & poſtea iterum amiſſæ valetudinis promiſſum peti poterit, quòd promittens ita ſenſiſſe nunquam præſumitur, & verba ſtipulationis ſtrictè ſunt interpretanda. *arg. l.* 91 *pr. ff. de V. O.*

X.

Pari ratione obligat votum eum, qui votum facere non prohibitus, Deo aliquid pro ſanitate ſua ſuorum ve recuperanda fuit pollicitus. Nam rector ejus loci, cui facta eſt pollicitatio, poteſt agere, ut impleta conditione præſtet id, quod promiſit. *Dan. Venat. ad tit. x. de vot. & vot. redempt.* Tantaque vis eſt hujus voti, ut ne quidem Papæ, multominus Epiſcopi, vel alius ex ſuperioribus ordinibus, patiatur diſpenſationem, niſi legitima & prægnans ſubſit diſpenſandi cauſa. *c.* 6. *XXV. q.* 1. Diſſentientem tamen habeo quoad priorem aſſertiorem *Innoc. in c.* 4. *x. de vot. & vot. red.* qui putat, quod verificatâ etiam conditione pollicitans non obligetur, nedum quod ab ullo adſtringi poſſit ſtare promiſſis. Idque propterea, quia ſit quodammodo illicitum & Simoniacum, intendere à Deô ſanitatem pecuniâ comparare. *c.* 11. *I. q.* 1. Hujus ſententiam multis rationibus poſt *Hoſt.* refellit *Abb. in d. c.* 4. *x. de vot.* Nec immeritò: nam Simoniæ crimen ſine expreſſo pacto de rebus ſpiritualibus non committitur, quô reſpicit etiam *text. in d. c.* 11. *I. q.* 1. Id quod quia in pollicitatione deficit, utique illa ſubſiſtet, adeò, ut etiam ab invito & reluctante extorqueri poſſit. *Abb. cit. loc. & Archidiac.*

320

in c. 9. XII. q. 1. teſtatur de communi opinione. Idem quoque rectè *alleg. loc.* ſubjicit, magis eſſe honeſtati conveniens, ſimpliciter & libenter aliquid Deo offere, & poſtea pro ſanitate rogare. *gl. in c. 45. verb. venia. diſt. 2. de pœnit.* Interim nemo ſecus agendo peccat, nec Simoniam committit, pollicitatio autem ſemper obligationem graviſſimam producit. *Guilh. Ameſ. tr. de conſc. 4. cap. 16. n. ult.*

XI.

Et hæc ſanitate recuperatâ obtinent. Etſi autem ægroto ſanitatem haut reſtituerit medicus, non tamen propterea ipſi illicò eventus mortalitatis imputari debet, cum multis in rebus effectus laborem haud ſequatur. Quod vel maximè in cura contingit, juxta illud:

Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Unde medicus officio ſuo ſatisfeciſſe videtur, ſi omne, quod ſalutare ipſi viſum, adhibuit, reliqua Deo & naturæ relinquens. *P. Zach. Lib. 6. Tit. 1. q. 7. n. 26.* Nec tamen exiſtimandum cum *Plin. hiſt. nat. lib. 29. cap. 1.* nullam legem eſſe poſitam, quæ puniat medicorum inſcitiam. Vereor enim ne is multum erret, qui hodiè id verum eſſe crederet. Itaque caſum quidem, tanquam rem fatalem, *l. 52. §. 2. ff. pro ſoc. l. 1. C. de jur. emphyt.* & vim divinam, *l. 25. §. 6. ff. locat.* medicus regulariter non præſtat, *l. 6. §. 7. ff. de offic. præſid. l. 23. ff. de R. I. l. 6. l. 9. C. de pign. act. l. 2. §. 2. ff. de admin. rer. ad civ. pert. Dn. Struv. Synt. jur. civ. Ex. 19. th. 46.* caſu tamen ægrotum interiiſſe in dubio ſemper præſumitur. *arg. l. 51. ff. pro ſoc.* At ſi dolo vel culpa medici, etiam leviſſima, ægrotum interiiſſe comprobatum fuerit, pœnam medicus non effugit. Idem quoque dicendum, ſi imperitia medici ægrotus moritur, nam & illa culpæ annumeratur, *§. 7. Inſt. ad L. Aquil.* Multum autem diſceptari ſolet inter Dd., cur imperitia medici ad verum, judicis verò, ad quaſi delictum pertineat? Vera videtur illa ſententia quam tradit *Bach. ad pr. n. fin. Inſt. de oblig. quæ quaſ. ex delict.* & approbat *Magnif. Dn. Strauch. Diſſ. ad univerſ. jus Iuſtin.*

Diſſ. 19. th. 16. Ludvvell. ad d. pr. ſcilicet, quod extra L. Aquiliam imperitia verum delictum non ſit; at judex in L. Aquiliam peccaſſe dici nequeat, cum malè judicando in corpus nullum damnum dederit, *arg. §. fin. Inſt. de L. Aquil.* quod utique facit medicus per imperitiam malè ſanando. Incurrit autem is in pœnam L. Corneliæ de ſicariis, ſi dolo hominem necavit: *l. 1. § Divus. ff. ad L. Iul. de Sicar. l. 1. C. eod. Ord. Crim. art. 134. Dambaud. in pr. Crim. cap. 47. n. 25.* ſin culpa qualicunque, pœnam L. Aquiliæ extraordinariam ſuſtinebit, *arg. l. 44. ff. ad L. Aquil. l. 7. §. fin. l. 8. pr. ff. eod. l. 6. §. 7. ff. de offic. praeſ. l. 3. §. 1. ff. ad L. Corn. de ſic. Angel. tr. de malef. verb. fama publica. in 7. quaeſt. Speckh. cent. 1. q. 24. Dec. conſ. 9. per tot.* quia medicus adhibere debet diligentiam ſecundum artem ſuam exactiſſimam. *arg. dd. text. c. 7. x. de atat. & qual. c. fin. x. de homic.* Modo, uti jam innui, dolus, negligentia, vel imperitia probari poſſit. Fit autem probatio vel per ipſius medici confeſſionem, *t. t. ff. de confeſſ.* vel per teſtes, i. e. medicos alios, qui dolo aut culpa alterius medici ægrotum occiſum eſſe per certa firmaque indicia demonſtrare norunt. Quænam verò ſint iſta indicia, quæ inducunt dolum, aut quæ arguunt culpam, congeſſit & longo ordine retuli *P. Zach. in quaeſt. med. legal. lib. 6. tit. 1. q. 2. per tot.*

XII.

Poſtquam jam de pœnis medicorum malè curantium tractavi, ea quoque ſilentio non prætereunda eſſe duxi, quæ præmii loco medicis ſunt conceſſa, & in ipſorum favorem introducta. Eò autem pertinet, quod medicis debetur ſalarium. *Eccleſiaſt. cap. 38.* Nam quia omnis labor optat præmium, *c. 15. XIV. q. 5. c. 4. q. 1L.* & nemo de ſuo beneficium *facere*, nec ſuis ſtipendiis militare cogitur; *gl. in c. 1. diſt. 83. verb. inferat.* iniquum eſſet, medicorum operam non remunerare, quam ipſi pro re longè pretioſiſſimâ impendunt. Nec eis adverſatur *c. 11. l. q. 1.* ad quem rectè reſpondet *gl. ad d. can.* textum intelligendum eſſe, ut nihil medico liceat accipere pro ipſa ſanitate reſtituenda, utique verò ipſi liceat pro labore in cura

adhi-

adhibito ſalarium vel præmium petere. *Speckh. quæſt. jur. cent. 1. q. 76. n. 5. & 8. Conf. ſur. pr. huj. cap. th.* 10.

XIII.

Conſtituitur medicis ſalarium aut publicè à magiſtratu loci, aut privatorum conventione; eaque vel tacitâ, vel expreſſâ. Quam facultatem conſtituendi ſalarium, vel cum medicis de cura contrahendi, privatis haud adimit *l. 3. ff. de extr. cogn. l. 9. C. de prof. & med.* Loquitur enim *d. l. 3.* de caſu, ubi medicus contra bonam fidem adverſa medicamenta inferendo ægrotum compulit per diſtractionem curæ, ut bona ſua venderet. Quod incivilè factum debet Præſes, implorato ejus auxilio, extra ordinem coërcere, & rem reſtitui jubere. Quod *ad l 9. C. de prof. & med.* attinet, in eâ ſaltem prohibetur medicis, exigere pormiſſum, quod à periclitantibus vitâ ipſis oblatum; neutiquam verò interdicitur accipere ea, quæ ſani offerunt. *Chriſtin. 5. deciſ Belg 50. n.* 12.

XIV.

Salarium promiſſum medicis per contractum, exigi poteſt in fine curæ, licet dies cedat ab initio, *l. 3. C. loc. cond. arg. l. 9. ibi: ſani offerunt. C. de prof. & med.* Sin verò id debetur ob operas ex legis diſpoſitione, diſtinguendum, num unum ſalarium ſit conſtitutum, & debetur totum ſtatim ab initio: *l 1. §. 13. ff. de var. & extr. cogn.* an per ſingulos annos, & debetur id initio cujuslibet anni. *l. 15. § 1. C. de advoc. diverſ. jud. Bart. In l. 1. §. 13. ff. de extr. cogn.* Malè itaque ſenſit *Zaſ. ad §. triplici. Inſt. de act. & Caroc. tr. de loc. cond. tit. de medic. q. 5. n. 5.* ſemper in principio medicos ſalarium petere poſſe exiſtimantes.

XV.

Conſequitur medicus ſalarium ſuum vel retentione, vel actione. Retentione fit vel propriè, quando medicus ſpeciem aliquam, quæ debitoris eſt, & cujus poſſeſſio bona fide, ſine vitio, nec titulo depoſiti, *l. pen. C. depoſ.* ad eum pervenit, tamdiu retinet, donec ipſi de ſalario debitor ſatisfaciat. *arg. l. 4. ibiq. Bald. C. de pet. her. Carpz. Iuriſpr. forenſ. p. 1. c. 28. def. 43. Conf. ſi placet, Diſſert. meam, antehac Ienæ habitam, de jur. retent. th. 17.*

Impro-

Impropriè medicus retinere dicitur, quando is viciſſim illi, quem curavit, certam quantitatem rei fungibilis ſolvendam debet: ubi pro ratione quantitatis debitum cum debito poteſt compenſari. *l. fin. C. de compenſ.*

XVI.

Circa actiones, quæ ad petendum ſalarium jure civili proditæ ſunt, diſtinguendum: Aut enim aliquid eſt promiſſum, aut non. Quod eſt promiſſum, erit vel certum, vel incertum. Certum promittitur vel ſtipulatione, & competit condictio certi, *l. 9. l. 24. ff. de reb. cred l. 74. §. 1. l. 75. ff. de V. O. Caroc. d. tr. de locat. tit. de med. q. 13. n. 2.* Vel pacto; eôque aut nudo, & petitur officio judicis, aut ſecundum *gl. in l. 7. ff. mandat.* condictione ex lege: aut pacto adjecto contractui mandati, & itidem ſuper id judicis officium extraordinem imploratur, *l. 7. ff. mand. l. 1. C. eod. l. 1. pr. ff. de extr. cogn.* actio verò mandati hoc caſu non datur: *l. 56. §. 3. ff. mand. Cuj. par. C. tit. de proc. in f.* Sin incertum per ſtipulationem medico pro ſalario eſt promiſſum, oritur indè actio ex ſtipulatu, *d. l. 75. §. 1. ff. de V. O.* Quod ſi verò nullum planè ſalarium eſt promiſſum, nihilominus id à medico pro quantitate operarum peti poteſt extra ordinem, *l. 1. pr. & §. ſeqq. ff. de extr. cogn. l. 13. §. 9. C. de judic.* quia operæ illæ præſtitæ ſunt à perſona ſecundum certam ſuam conditionem.

XVII.

Dantur hæ actiones contra eum, quem medicus curavit, ejusque heredes. Item contra ſocium omnium bonorum, qui pro parte agnoſcere debet impenſas in curationem ſocii ægroti factas. *arg. l. 52. §. 3. ff. pro ſoc. Mez. tr. de contr. tit. de ſoc. p. 103.* Competunt ad id, ut præſtetur ſalarium. Ubi quæritur: An medicus, curatô ſemel ægrotô, & in priſtinum morbum recidente, novum ſalarium exigere poſſit; num verò ægrotum pro eodem ſalario curare debet? De quâ quæſtione *vid. Speckh. quæſt. jur. cent. 1. q. 31.* Moderamen in exigendo adhibebit medicus, ſi curavit fortè ægrotum paupertate preſ-

N ſum,

322

ſum, cui gratis auxilium ſuum præſtitiſſe non pœniteat, præmium à Deo expectans. *gl. in c. 1. verb. inferat. diſt. 83. Specul. tit. de ſalar. §. 4. n. 6. Gail. 1. obſ. 43. Roder. de Caſtr. d. tr. lib. 3. cap. 21.* Nec neceſſe eſt, ut hoc in caſu ægrotus juramentum paupertatis præſtet, quod quidem requiritur, ſi de advocatorum ſalario quæſtio eſt. *Gail. d. l. n. 18. & gl. in c. 11. §. inſuper. verb. notabiliter. de reſcript. in 6to. Felin. in c. 1. x. de offic. deleg.* Cæterum competit medico ob ſalarium jus prælationis, quô præfertur omnibus creditoribus privilegiatis aliis, etiam anteriorem hypothecam expreſſam habentibus, *l. 37. ff. de relig. & ſumpt. fun. l. 4. C. de petit. her. Surd. deciſ. 255. Viv. deciſ. 307. Maſc. de prob. concl. 722. Vol. 2. Dn. Richt. tr. de concurſ. cred cap. 2. n. 4.* exceptis iis, qui ſumptus pro inventarii confectione petunt, *arg. l. ult. §. 4. C. de jur. deliber.* & qui mercedem pro miniſterio præſtito exigunt. *Carpz. p. 1. conſt. 28. def. 25. Dn. Struv. Syntagm. jur. civil. Ex. 44. th. 47.*

XVIII.

Denique multa variaque privilegia adhuc medicis promotis, & qui iis æquiparantur *th. 4. huj. cap.* ſunt conceſſa. Illi enim immunes ſunt à muneribus perſonalibus, *l. 6. l. 11. C. de prof. & med. arg. l. 11. C. de aſſeß. Klock. tr. de contr. cap. 15. n. 25.* & realibus, quæ capitis dicuntur, non quæ poſſeſſionis, *Arum. diſc. jur. publ. 18. p. m. 767. lit. c.* Item illi non ſolvunt vectigalia; gaudent titulo nobiliſſimi. *Berl. p. 1. concl. 55. n. 94.* uti poſſunt veſte pretioſiore, aureis annulis, catenis; dictis ipſorum magna adhibetur fides, habent beneficium competentiæ, habent & alia multa privilegia, quæ pluribus perſequi inſtituti mei ratio prohibet.

Itaque DEO Triuno & Sempiterno pro præſtitis ad hoc viribus grates perſolvo perquam maximas, ejus divinam clementiam ardentibus precibus implorans, velit me meosque inpoſterum

inco-

incolumes conſervare, firmam & inconcuſſam ſanitatem largiri, ac totam inclytam hanc Rempubl. Argentoratenſem, cæterasque benè conſtitutas respublicas ab omnibus infectionibus & contagionibus clementiſſimè protegere & cuſtodire. Nunc manum de tabula.

F I N I S.

323